

P. Ovidii Nasonis Fastorum Libri Duodecim, Quorum sex posteriores a Claudio Bartholomaeo Morisoto Divionensi substituti sunt. Divione, 1649.

This text is transcribed from *P. Ovidii Nasonis Fastorum Libri Duodecim, Quorum sex posteriores a Claudio Bartholomaeo Morisoto Divionensi substituti sunt*. Divione, 1649. (Morisotus edited Ovid's *Fasti*, then completed the work with six books of his own composition.) Two copies were consulted, one a book in my possession, the other a microfilm from The Newberry Library in Chicago. The Newberry has the only publicly available copy in the US, as far as I can determine. The two copies are not identical: on p. 270, l. 376 the Newberry copy has in error "diminumerare" corrected to "dinumerare" in my copy; in a few places the punctuation and spelling differs. I have not noted all the differences. In general both copies have the same typographical errors and line or page mis-numberings (marked in the transcriptions as "269 sci. 271" which means "marked 269, but actually 271").

I have preserved Morisotus's spelling (distinguishing u and v), capitalization, and punctuation.

1. Some variants from the spelling of Lewis and Short include exurgo for exsurgo, faemina/foemina for femina, -cunque for –cumque, lacryma for lacrima. In general the spelling should present no difficulties.
2. All important nouns are capitalized, not just proper names.
3. The punctuation is far from modern English usage, with many commas where we would expect no mark, and many periods where we would expect commas. Moreover the vagaries of printing have certainly caused some periods and commas to vanish. The printer also interchanged question marks and exclamation points in many passages. I have made changes where I considered the correction to be certain. (All changes are footnoted.)

I have corrected all the typos listed in the errata and all other which I noticed. All corrections or changes have been footnoted. I request that readers inform me of any typos which I did not notice or which I added in the transcription.

Mark Riley
CSU Sacramento

Sacramento CA 95819

mtriley@csus.edu

Iulus ut cives, totumque coercuit Orbem,
Et possessa suis regna recepit avis.
Correxit mores, leges correxit, et Annum,
Deque meo dixit nomine Mensis eat.

5 Assensere Patres, tum cepit Iulus esse,
Cui primum e quinti nomine nomen erat.
Natus in hoc Caesar, proles illustris Iuli,
Anchisae, et magnae Cypridis iste nepos.
Iunius expulerat Reges; Consulque vocatus,

10 Presserat infenso Regia sceptrum pede,
Tum sumpsit fasces pro libertate Quiritum,
Qua fit luce sacrum viscere Carna tibi.
Iunius hinc Mensis, sequitur quem Iulus, illo
Iulus Imperium sumpsit, et arma tulit.

15 Hinc Iuli migrat conductor ab aede Calendis,
Et novus ignotos placat odore Lares.
Hic captae est urbis species, fit clamor ubique,
Hic veteres aedes deserit, ille subit.
Talis erat Nonis Populi fuga, cum timor urbem

20 Cepit, et incerto plebs fuit acta metu.
Vel quod ab hesterna Capitoli incendia luce,
Atque ustos saevo viderat igne Deos.
Hinc timidi venit Populi fuga, tecta relicta,
Tutus in immensa non fuit urbe locus.

25 [166] Vel quod apud Capreae viridantia prata paludis,
Belliger ad superos Romulus ivit avos.
Attoniti mansere Patres, cum fulmen, et imber
Deciderent, timor hinc, et fuga facta fuit.
Tertia sed causa est melior, gens Gallica nuper,

30 Ceu torrens, Latios depopularat agros,
Quidquid restiterat caesum, Romana iuventus

Fastorum Liber Septimus

Occiderat, tanto est Allia nota malo,
Cesserat Etruscus subitis oppressus ab armis,
Nec qui pugnaret civis in urbe fuit.

35 Pars sylvas, pars antra petit, pars oppida nondum
Diruta, Tarpeia pars bona in arce latet.
Invalidi cecidere senes, tum barbarus hostis
Quaesitas longo tempore carpit opes.

Implentur vacuis plaustris fora, plausta replentur,
40 Nec satis in praedam Gallica plausta valent.
Et tamen egeritur domibus quaecunque supellex,
Et nostris pridem munera vota Diis.

Vix Fora sufficient, amor est sceleratus habendi,
Et cum possideat quaerit avarus opes.

45 Hoc sensit vigilans Capitoli miles ab arce,
Spes nulla auxilii, nulla salutis erat.
Obtulit hic Gallo pretium auri pondera mille,
Quo tandem saevo liber ab hoste foret.
Accepit pretium victor, tum deserit urbem

50 Incensam, atque Asiae ditia Regna petit.
Omnis corruerat supremo a culmine Roma,
Quae dominos caperet, non erat ulla domus.
Non ipsis tectum Superis, simulacra iacebant
Saxeа, de templis eruta signa suis.

55 Utque solet pastor, summi de vertice montis,
Mirari eversas fulminis igne casas,
Sic Romana redux, fugitivaque turba, tremiscit,
Inque suo dubitat Roma sit ipsa loco.

Paulatim tamen accedens, confusa timore,
60 Vestigat quondam cognita tecta sibi.

[167] Nec sua quae fuerant noscit, timet omne quod audit,
Quodque videt: prisco mens stupeticta metu:
Victoresque putans, audire, et cernere Gallos,
Torpet; in ignavo pectore terror erat.

65 Ac veluti tenues spectrum cum cessit in auras,

Fastorum Liber Septimus

- Visa tamen monstri tristis imago manet.
Quique genis fuerat pallor, qui crinibus horror,
 Durat, ut Arctoo frigore membra stupent.
Cuncta timet, qui cuncta putat spectrum esse, vel umb.¹
- 70 Nil reliqui, ad passus pallet et ipse suos.
Deseritur domus, et qua atrum vestigia parte
 Defixit monstrum, triste piamen habet.
Tota vacat, donec lustrata pialibus undis,
 Reddatur trepido libera facta metu.
- 75 Tum repetit dominus purgatas tutior aedes,
 Et Laribus ponit florea sarta suis.
Sic postquam Romae Romanus turpe cadaver
 Vidit, et in magno vasta sepulchra rogo
Audiit atque Urbis Genium miserabile passim
- 80 Clamantem, pulsos sedibus² esse Deos.
Tunc timor hic veteri superadditus, aufugit, errat,
 Nec certas aedes, nec colit iste focos.
Consultur sacrum de Religione volumen,
 Obscuri Marcus carminis author erat.
- 85 Hoc legitur scriptum, ludos deposcit³ Apollo,
 Hic omnes belli pellet ab urbe metus.
Et quas Roma dedit poenas sub milite Gallo,
 Gallia Romano milite victa dabit.
- 90 Inter Aventinum montem, montemque Palati,
 In Tyberis fluvii margine Circus erat.
Non qualis, quantusque patet qui Maximus est nunc,
 Tu licet hoc stares tunc quoque Circe loco.
Te Priscus, quem Roma colit quintum ordine Regem,
 Struxit, et in certa sede sedere dedit.
- 95 Nondum concissum Circenses marmor in usus,

¹ compendium pro umbram.

² text s dibus spatio relicto. sedibus scripsi.

³ corr. ex erratis pro vocabulo depositus

Fastorum Liber Septimus

Nec fuerant auro peggmata tecta sacro.
[168] Non ova, aut Divi, non Dis devota supellex,
 Nec quae currenti stat data meta rotae.
Non fuerat chrysocola solo superaddita, nec scobs
100 Argenti, aut rubro terra subacta croco.
Pura erat, et qualis de fluminis eruta fundo,
 Hortenses retegit vilis arena vias.
Impletur Circus, subeunt praeludia pompae,
 Hic cytharam digitis pulsat, et ille canit.
105 Subsequitur saltans alter, venabula quartus
 Gestat, et a tergo picta pharetra sonat.
Tum biiuges currus, et equis invecta iuventus,
 Et trux ostentans membra torosa pugil.
Luctatorque ferus, minusque ad scenica doctus
110 Munera, solerti prodere verba manu.
Sparguntur flores, succedunt deinde puellae,
 Et pueri, alternis cantat uterque chorus.
Cantat, Io Paean, et Io bis dicite Paean,
 Decidet in nostras praeda petita manus.
115 Quique Deos Latii contempsit barbarus hostis,
 Hostia contemptos decidet ante Deos.
Pluraque cantabat, sed procedente tumultu,
 Non exauditum nobile carmen erat,
Baiulus interea numeratis passibus ibat,
120 Signa Deum portans, aptaque vasa sacrис.
Tum bis quinque Viri, Graecaque in veste sacerdos,
 Succinctique aderant ad nova sacra popae.
Cornibus auratis, et multo flore superbus,
 Bos erat, intonso victima vota Deo.
125 Pone sequebantur⁴ geminae duo lactea caprae
 Corpora, et inde dies mox Caprotina fuit.
Ante aras una steterant, votisque peractis,

⁴ correxī ex voc. sequebantnr.

Fastorum Liber Septimus

- Ut simul adstiterant, sic cecidere simul,
Tum super imposuit flammis consulta sacerdos
130 Exta, mero, libo, thureque sparsa prius.
Et circumstantem lustravit sanguine turbam,
 Ut mos a priscis traditus extat avis.
[169] Mox ludi fiunt, quos multo Roma favore
 Spectat, per quinos exhilarata dies.
135 His actis animi redeunt, Romana resurgit
 Gloria, consurgunt, moenia, templa, domus.
Pax erat, et pacis studiis addicta iuventus,
 Aspera Threicci tempserat arma Dei.
Unanimes Aequus, Thuscus, sociique Latini,
140 Contra Romanos impia bella parant.
Sutrion expugnant, castrisque ad moenia⁵ versis,
 Exangui replent territa corda metu:
Quasque solet victor miseris indicere victimis
 Contemnunt leges, altera iura volunt.
145 Scilicet illustres viduas, tenerasque puellas,
 Nobilium poscunt pignora grata patrum:
Ut secum in Venerem coeant, interque choreas,
 Et cantus, siccent pocula plena mero.
Quid facerent Patres? quid Plebs? incendia late
150 Crescunt, et iugulum qui petat hostis adest.
Romanas inter famulas, quis credere posset,
 Magni animi virgo Graeca Philotis erat.
Ancillas iungit comites, doctaque capillos
 Torquet acu, Syrio spargitur imbre coma.
155 Adduntur vittae, gemmata monilia pendent
 Auribus, astringunt aurea vincla pedes.
It stola serviles cocco distincta per artus,
 Et dominas ipsas fallit imago sui.
Per varios vestis celatur sica recessus,

⁵ maenia in textu

- 160 Sica per hostiles fortis itura sinus.
Sic armata Philotis erat, sic compta Philotis,
 Quaeque ancillarum turba Philotin amat.
Exierant portis, inimicaque castra tenebant,
 Quae caperent; ultro qui caperentur erant.
- 165 Deciderant irae, nec iam bella aspera, sed quae
 Mollia vel fecit, factaque Cypris amat.
Haec inter vario flagrant agitata tumultu
 Corda, fuit multo concita flamma mero.
- [170] Per tenebras crescit petulans audacia, cantus
170 Excitat, et facili, pollice pulsa lyra.
Mars, et Amor, Bacchusque nihil nisi forte suadent,
 Et pudor in dominae est velle timere sinu.
Abiicitur ferrum, clypei damnantur, et hastae,
 Laetatur nudo milite nudus Amor.
- 175 Pars ancillarum promiscua colligit arma,
 Et struit indoctâ celsa trophyea manu.
Vel clypeum sumit, vel acutae cuspidis hastam,
 Et galeam capiti composuisse iuvat.
Pars docilis, comiti ne praesens fabula fiat,
- 180 Quod cum conservo fecerat, ipsa facit.
Ridet Thuscus eques, quaenam haec lascivia, dixit,
 Virgo mihi insolita crispata ab arte latus.
O Di, si talem motum Romanus haberet,
 Tam forti Mavors discuteretur equo.
- 185 Haec rudis in Venerem, quod amanti dura negarat,
 Mollior, ignoto gaudet ab hoste rapi.
Pars etiam fastu rigidas imitata Sabinas,
 Non nisi in illustres vult gravis ire toros.
- Deserit interea castra inservata Philotis,
190 Urbe erumpendi signa datura suis.
Tum super ascendens caprifici ignobile culmen,
 Ventilat accensam, quam tenet ipsa, facem.
Nulla mora est, monitus currens Romanus ad arma,

Fastorum Liber Septimus

- Praecipi gressu castra inimica petit.
- 195 Tessera nulla data est, nullus tunc signifer, aut Dux,
Quisque sibi miles, quisque tribunus erat.
Donec anhelanti turbae coniuncta Philotis,
In varios aciem iussit abire globos.
Tum ruit hostilem in campum per aperta viarum,
- 200 Proterit adversos, cunctaque caede replet.
Aurescunt⁶ famulae victrici, plurimus ensis
Eruitur tunicis, eruiturque stolis.
Dumque furens ancilla virum ferit, et necat ulti,
Hanc dotem, hoc pretium, dixit, amoris habe.
- 205 [171] Prodictione, dolis, scelere, atque libidine, et ira,
Hoc quaesita tibi tempore Roma salus.
Scilicet ut Superi aeterna colerentur in urbe,
Orbis ob Imperium fas fuit omne nefas.
Nunc virtus Romana viget te Principe Caesar,
- 210 Crimina supplicium, quod meruere, ferunt.
Adversi cecidêre⁷ duces, altaria fumant,
Ponitur ante sacros praeda reperta Deos.
Multus honor datus ancillis censente Senatu,
Et populo votis conveniente piis.
- 215 Hoc quodcunque fuit Nonis Quintilibus actum,
Festum Ancillarum est illa vocata dies.
Est Caprotina etiam caprificus nomine dicta,
De qua dux turbae prospera signa dedit.
Et Iuno Caprotina fuit celebrata quotannis,
- 220 Cui fuerant illâ templa dicata die.
His famulae pallis Cois, vittisque superbae
Sacrificant, late victima caesa cadit.
His laetae, comptaeque, canunt, quae festus amator
Composuit celeri metra terenda choro.

⁶ corr. ex erratis pro voc. Accrescuut

⁷ corr. textum cecidête

Fastorum Liber Septimus

- 225 Tum iuvat agrestis ficus decerpere ramos,
Atque occursantis caedere fronde latus.
Currere perque vias urbis, lascivaque cuncta
Dicere, quae Cypris, quaeque Priape probas.
Trudunt se in campos, et qua se Martia vallis
230 In Tyberim vergens explicat, agmen agunt.
Hortantur socias ut agant, hortantur et illos
Qui spectant, hostem sic ut adesse putas.
Ut veteris lusere diu simulacra duelli,
Frondosis recreant corpora fessa casis.
235 Has caprifice tegis, donec convivia cessent,
Quae fieri Aedilis publico ab aere iubet.
Munera tunc illis dat plurima largus amator,
Ut dominas fallant, concilientque sibi.
Si dominae non sint domina est ancilla, capitque
240 Et dat, sponte sua quod dare vellet hera.
[172] Hos lusus, haec festa oculis despectat aquosis,
Aurorae quondam magnus Orion amor.
Virginis idem odium, et laesae vindicta Diana,
Et medium zonam tollit ab Oceano:
245 Quae triplici stellata micans per caerula bullâ,
Coeleste aequali pondere librat opus.
Iupiter hunc clarum virtutibus intulit astris,
Et totum mensi iussit adesse suo.
Cumque Iovis magni pars seminis esset Orion,
250 Huic Signo in terris maxima posse dedit.
Nam cui nascenti medius colluxerit, ille
Magnus erit belli, magnus et arte togae.
Insignis forma, totosque infusa per artus
Ibit maiestas, gratia blanda, decor.
255 Ille idem imperio cives, hostemque tenebit,
Et populis leges, sacraque iura dabit.
Insidiis tamen infelix, et fraude suorum,
Impavidus patrios concidet ante Deos.

Fastorum Liber Septimus

- Huic bona posteritas statuas, tumulumque superbum,
260 Thuricremasque aras, altaque templa dabit.
Caesaris hoc fatum, quod non Cytherea movere
 Tarpeiique Iovis non potuere preces.
Edidit hunc Idus quarto bona filia Cottae,
 Cum Mario Flaccus Consule erat.
265 Fulgebat medius fausta inter sidera Orion,
 Iupiter hinc fuerat, stabat et inde Venus.
Favit et ipse Deus Mavors, seroque nepoti
 Ardentem clypeum misit ab arce poli.
Ille volans flammis ardentibus explicat orbem,
270 Et celeri incursu nubila densa secat.
Et nisi Saturnus contraria Signa tulisset,
 Integer in caelum Caesar iturus erat.
Additus est aliis octavum fidus Iulus,
 Et sibi viventi condita templa colit,
275 Natalique suo ludos, et festa quotannis
 Debita, de summo prospicit ille polo.
[173] Et caput Augustum, totamque salutifer urbem
 Coelesti fulgens Numine et igne fovet.
Quod si non renis Deus exaudire precantem,
280 Me quoque Romano redde benigne solo.
Exilii satis est! inter frigusque, Scythasque,
 Supplicium dudum triste Poeta fero.
Si dederis redditum, crescent in carmina vires,
 Nec qui, me melius concinat, alter erit.
285 Ipse tuas, natique tui, prostratus ad aras,
 Quid bene, quid recte gessit uterque, canam.
Trans ego tellurem; trans summas aequoris undas
 Audiar, et vestro Numine tutus ero.
Praetermissa dies fuerit, mercator in aedem
290 Currit, Piscino est illa notanda foro.
Maiugenae sacrata domus, suffulta columnis
 Marmoreis, auro tecta superba micant,

Fastorum Liber Septimus

- Illic conveniunt collegia mercatorum,
Et quae gesta prius, quaeque gerenda, docent.
- 295 Quas merces sibi Nilus agat, quas conferat Indus,
Et quas e Rubro devehat unda mari.
Quid Libycae messes, quid Gallica rura ministrent,
Et diti ociduus⁸ portet Iberus aqua.
Utilitas quae maior eat, fructusque feratur
300 Grandior, ut pleno turgeat aere sinus?
Tunc quoque Fortunae Muliebri dantur odores,
Hic ubi stant Latia condita fana via.
Causa vetus templi, Romana pulsus ab urbe,
Ante urbem iratus Coriolanus erat.
- 305 Densa feroxque acies, et duris Volscus in armis
Bellicaque aerata machina fronte minax.
Intus terror erat, miseris spes nulla salutis,
Incassum a cunctis illa petita Diis.
Ut pelagi rupes, immotus tempserat omnes
310 Dux belli, Patrum, Pontificumque preces.
Restabat mater, coniux restabat, et ipsa
Prole ferax multa Coriolane tibi.
[174] Matronis aliquot iunctis ad castra feruntur,
Fecerat audaces sanguis amorque duas.
- 315 Miranti similis cedit venientibus hostis,
Hoc in honore viris tempore nupta fuit.
Mater ut ante ducem scissis cum veste capillis,
Coniuxque et nati procubuere simul.
Illa refert: tantaene animis mortalibus irae
320 Nate? quid in patriam ferreus arma moves?
Prodigium? sine te vixi, mea viscera, fili?
Vixisti sine me sanguis et ipse meus?
Iam quota pars est ista tui, natique, thoriique
Consors in viduâ sola relicta domo.

⁸ i.e. occiduus. Mendum typographi; cp. vii 432, 440.

Fastorum Liber Septimus

- 325 Excidimusne tibi triplicis modo pignus amoris,
 Nunc dolor, et patriae pestis inqua suae?
Si veteris Priami coniux sine prole fuisset,
 Staret in antiquo Troia videnda loco?
Flamma sui Paridis Troianam perdidit urbem,
330 Roma odio ardebit Coriolane tuo?
Cum te utero gererem, venturi nescia Fati,
 Visceribus nostris excutiendus eras?
Hoc tunc fas fuerat, nec nomen criminis esset,
 Sed pietas, patriae damna tulisse suae?
335 Nunc tibi ius nostraे Fortuna inimica salutis
 Tradidit, excidimus si tua Roma cadet?
Quo ruis? et patriam bello furis actus in urbem?
 Per te servatae gloria maior erit?
Si patriam, si nos saevus servare recusas?
340 Romanis saltem parcere disce Diis?
Hoc sat erit? ferrum atque ignes immitte, licebit
 Et nos quas cogis vivere, coge mori?
Dixerat, ille nihil, vocem supresserat omnem,
 Atque iram pietas, et renovatus amor.
345 Erigitur, dubiusque cui prior oscula figat,
 Nescit, in ambiguo est mater an uxor erit.
Et nisi quod propior fuerat Volumnia nato,
 Vergiliam matri praeposuissest amans.
[175] Haeret in amplexus huius, mox illius ille,
350 Plus quoque, quam quisquam credere possit, amat.
Admovet et blandos festinus ad oscula natos,
 Et pater optato pondere perfruitur.
Tum bene quod plausum concussis miles ab armis,
 Fecerat, et patriam versus habebat iter,
355 Cantabatque Diis, pacemque uno ore vocabat,
 Festivosque dabat buccina laeta sonos.
Martius in noctem traxisset gaudia tanta,
 Osculaque alternis mille petita forent.

Fastorum Liber Septimus

- Vix revocatus abit, praeceps rapit oscula, datque,
360 Discedens, nequuit dicere lingua, vale.
Tum sese extreum tandem coniecit in agmen,
Atque ita flens moestum, non redditurus abit.
O scelus horrendum! Tullo instigante necatus,
Antiatum magnum concidit ante forum.
365 At Romae, postquam Volscus discessit, ad aras
Pergere, et accensis ingerere exta focis.
Templa per ire pares illi quibus infula sacra est,
Sertaque per cunctas ire soluta vias.
Et qua parte hostis tentoria fixerat, illâ
370 Innumerum in nivea veste coire chorum.
Vix locus ille fuit signatus ab Augure templo,
Frondibus, et vario flore nitebat humus.
Area vix puris fuerat bene perlita lymphis,
Et de mactato sanguinolenta bove.
375 Vix quoque reddiderat Superis sua vota sacerdos,
Araque de viridi cespite structa fuit.
Additaque e saxo Sortis simulacra Potentis,
Cuius ab excidio cesserat hostis ope.
Cum matronarum sacris, votisque vocata,
380 Ad circumstantes talia verba dedit.
Vovistis bene me matres, sub nomine vestro,
Per vos, per vestras excolar usque nurus.
Utque viris semper favi, faveoque Virilis,⁹
Prospera sic vobis sors Muliebris ero.
385 [176] Tam bene sacrantur Ledaeis fratribus Idus,
His fulsit nostris ulti uterque Deus.
Pugnantes Diis sociis, populoque Quirini,
Templum ad Regilli demeruere lacum.
Illic thura ferunt Equites, mox Martis in aede
390 Conveniunt, Appî cernitur illa viâ.

⁹ Virilis conieci. Tex. legi non potest Vi..lis, spatiis relictis.

Fastorum Liber Septimus

- Insiliunt in equos, queis fulvum manditur aurum,
Et fulgent nitida gemmea strata die.
- His super incedunt trabeati, plurima frontem
Pluma tegit, nisi quos laurus opaca tegit.
- 395 Hostibus aut galeae ereptae, cristaeque comantes,
Aut de devictis arma recepta viris.
Foelices in amore, quibus datur illud honestum,
Ut possint dominae munera ferre sua.
- Quam decet acceptum capiti subnectere vinclum,
400 Brachiaque e flavis exhilarata comis.
Vel saga dilectae manibus properata puellae,
Vel levis arcanis fascia picta notis.
Ipse putatur equus dilectum scire magistrum,
Tollitur, et reliquis laetior extat equis.
- 405 Ast alii, quos ipse decor, vel gloria belli
Tangit, ad auditam contremuere tubam.
Horrescit iuba, fumosus de naribus ignis
Exit, et a duro tunditur ungue solum.
Agglomerant gressus animisque ad magna vocatis,
- 410 Concesso norunt vix bene stare loco.
Iamque Camoenarum templo, lucoque relicto,
Almon, et ante oculos porta Capena fuit.
Deque Camoenarum vicus cognomine dictus,
Et quae de geminis est via dicta Diis.
- 415 Hic Honor, et Virtus, magnae duo maxima Romae
Numina, tecta eadem iunctaque templa tenent.
Porticus inde patet Drusi, tum Castoris aedes
Romanum ante Forum conspicienda venit.
Hic ego Censores, et eburna in sede sedentem
- 420 Augustum vidi, Censor acerbus erat.
[177] Ipse recognovit numerum, stipendia, dona,
Et meritas dotes, emeritumque latus.
Sique aliquis Equitum fuerat minus utilis annis,
Iussit ad antiquos arma referre Lares.

Fastorum Liber Septimus

- 425 Et fuit, ô tempus! Cum me, moresque probaret,
 Illo, quem dederat, praetereuntis equo.
Nunc miser ad ripas positus septemplicis Istri,
 Frigore Parrhasiae virginis usque premor.
Nec spes ulla super, Divos Augustus adivit,
430 Et terram, nostras destituitque preces.
Sed quid ego laetis vanos permisceo questus,
 Iam tenet occiduum splendida pompa forum,
Ascenditque altam, qua gaudet Iupiter, arcem,
 Et pro Caesareo Numine thura dedit.
- 435 Plauditur, isque dies nostris Transvectio dicta est,
 Et credunt laetum plausibus esse Iovem.
Nox ades, et longum fraterna in luce refulgens,
 Venturum terris discute Luna iubar.
Sint tenebrae, donec quod terris luxerit astrum,
440 Occiduo rutilas tingat in amne comas.
Sat quondam Phaeton damnorum fecit in Orbe,
 Nil opus Orbis habet iam Phaetonte novo.
Etesiae saltem spirent,¹⁰ sitientiaque imber
 Dum cadet, iratae temperet ora Canis.
- 445 Te subdente facem terris radiosque movente,
 Natura in sicco languet adusta rogo.
Barbara quid rabiem fraternos mittis in artus,
 Quid nos immerita barbara febre necas?
Munera quid Cereris, quid munera grata Lyaei
450 Perdis, et insano findis ab igne solum?
Quae pia vixisti, cur coelis impia regnas,
 An tanti Erigone est, Icariusque tibi;
Hic dominus, domina illa tua est, nil fecimus ipsi:
 Contra, homines merita pro pietate sumus.
- 455 Scimus, et externas rumor pervenit ad aures,
 Icarium miserae succubuisse neci:

¹⁰ corr. ex erratis pro voc. spirant.

Fastorum Liber Septimus

- [178] Et te dilectum domini servasse cadaver,
 Ut pietas iustis sit tua nota Diis.
Quodque dolore necis patriae pia filia fecit,
460 Ut trabe ab infausta triste pependit onus.
Si quid habes sensus, te sentiat Attica tantum,
 Ista nocens dominum perfida terra tegit.
Non satis in natas saevisti Bacche reorum,
 Nec satis in poenas ingeniosus eras.
465 Addito Mera novas, dominumque ulciscere, et illam,
 Erigonem, coelo quae tibi iuncta micat.
Urito Cecropias messes, vinetaque laeta,
 Quosque virens fructus Palladis arbor habet.
Atticus ante diem nigras festinet ad undas,
470 Lunato saevi dente petitus apri.
Praeda avibus, praeda ipse feris lanianda, per arva
 Tractus, quem nunquam vilis arena tegat.
Hunc agat in furias morsus canis, et petat undas,
 Et tamen a nullo fonte bibantur aquae.
475 His simulacra canum videat, similisque latranti,
 Spumeus ad rictus horreat ipse suos.
Donec eum absumat latitans vis saeva veneni,
 Et caput ad Stygiam triste reclinet aquam.
Surda taces, totumque furis vesana per Orbem,
480 Digna siti semper, digna perire fame.
Te fugit inversâ glacialis Aquarius urnâ,
 Nec Leporem capies, sit licet ipse prope.
At te qui sequitur, Leo devoret, improba quamvis,
 Macraque, et impurae vel levis umbra canis.
485 Ah, pereas saevo lacerata Leonis ab ungue,
 Nec pars existat quantulacunque tui.
Post Idus nostras vix senserat Allia clades,
 Sol citius solito misit in aequor equos.
Atra dies, nox atra urbi, populoque Quirini,
490 Planctus, et in templis Numina clausa suis,

Fastorum Liber Septimus

Sidera nulla polo fulgebant nocte sequente,
Mansisti in fusco lucida sola polo.

[179] Occiderant Fabii, Nymphae luxere iacentes,
Ex oculis cecidit¹¹ lacryma nulla tuis.

495 Et tamen, ô crimen, ne nostris dira noceres,
Sacra tibi e rutilae viscere facta canis,
Hic ubi de veteri surgit Catularia saxo
Porta, videtque aram, quae tibi vota manet.
Hoc, pro criminibus tantis, tibi deprecor, ut quae,
500 Per te perpetimur, perpetiare mala.
Quod restat, placet in sylvas, lucosque virentes
Ire, ac herbosis rite sedere thoris.

Propter aquae ripas, vicina fontis in herba,
Nectere quae frontes florea sertar ferant.

505 Aut petere antra iuvat tenero circumlita musco,
Aut scopulum raucis qui sit adesus aquis.

Fronde sub umbrosa ludit Romana iuentus,
Dum fuit Icarii fervida stella Canis.

Ludunt et Satyri, montanaque Numina Panes,
510 Et nudo saltans caerula Nympha pede.
Saltat et ipse suis Tybris commotus ab undis,
Atque Anio ad patrias dum fugit actus aquas.
Respondent colles, curvaeque ad flumina ripae,

Iunctaque Colinae plurima templaque viae.

515 Haec sunt a lucis, Lucaria festa vocata,
In quorum ramos nil Canis ira potest.
Si satis haec non sint, magnusque exsaeviat ignis,
Fas erit imbrifero vota referre Iovi:
Manalemque humeris lapidem portare per urbem,
520 Et multa pluviam sollicitare prece.
Hic lapis ante aedem Martis iacet, Appia qua se
Explicat, huic iuncta est porta Capena viae.

¹¹ corr. pro voc. cedidit

Fastorum Liber Septimus

- Forma illi nulla est, nulla illi est certa figura,
 Huic tamen internum numen inesse putant.
- 525 Nam simul atque urbem lustravit Numine totam,
 Haud mora, foecundo terra sub imbre madet.
Elevat attonitas ad tantum munus aristas
 Campus, honor pratis, qui fuit ante, redit.
[180] Sed tunc praecipue crudeli raptus ab igne,
530 Bacchus, Io clamat, reddit a vita mihi est.
Bis genitus, nascorque iterum, Nymphasque salubres
 Sentio, et in flamas utile munus aquas.
Occidit interea laetantis¹² munus Iacchi,
 Totaque sub ponto mersa Corona latet.
- 535 Occidit Herculeae caput Anguis, nulla Bootis
 Pars micat, hunc totum Tethios unda tegit.
Iamque dies bis sex, unusque e mense supersunt,
 Heu quanto maduit sanguine prima dies?
Haec vidit patrum iugulos, et pectora fratrum,
540 Natorum, et fratrum facta cruenta manu.
Quam dederat vitam nato pater, abstulit, et quae
 Signa sequi miles debuit, illa tulit.
Nesciit hic sese Natura, everterat omnes
 Lex Fati leges, consiliumque Iovis.
- 545 Ingemuere Aemi valles, Pangaeaque saxa,
 Pindus, et Herculeo nobilis Oeta rogo.
O utinam latis tantae Pharsalia cladi
 Sufficeres campis, solaque rubra fores.
De nostro fontes, de nostro sanguine rivi ,
550 Fluminaque e nostro tota cruore fluunt.
Crevit et Enipeus projecta cadavera portans,
 Et Peneus lentas mortibus auxit aquas.
Sensit et aequoreo sub gurgite pondera Nereus,
 Sparsit et in varias funera facta plagas.

¹² corr. ex erratis pro voc. laetentis

Fastorum Liber Septimus

- 555 Quam bene divisit cineres mare, quippe manere
Uno non poterat tanta ruina loco.
Roma sui ludos solvit victoris honori,
Laeta quod a magno Caesare victa fuit.
Tertia cum coelis Aurora fugaverit umbras,
560 Tundentur ripae garrule Tybri tuae,
Nunc decet ut taceas, magnum est quod surgit ubique
Murmur, et iratis grandius extat aquis.
Ut cum Vere novo linquunt alvearia, densis
In turmis, avidae floris olentis apes.
565 [181] Fit strepitus, torto bombus procedit ab ore,
Quique tubis raucus spiritus esse solet,
Sic e Neptuni, trito quae iuncta Terento est,
Aede, coronatus navita fronde ruit.
Hunc medium iunci cingunt hunc iris opacat,
570 Hirsuta aut circum brachia torta salix.
Cymbala pulsantur, tenuique in voce cicuta
Surgit, et ad varios tibia ducta modos:
Et cornu incurvum, sistrumque, et tympana sacra,
Plectraque, et horrisonae, Martia signa, tubae.
575 Sunt quibus inversis placeant genialia palmis
Naulia, contrito queis fit ab osse sonus.
Haud aliter Gallus Cybeleia concrepat aera,
Aut excita tonat Baccha latente Deo.
Utque aliquis maris undifremi vitaverat iram,
580 Suspensa e collo picta tabella fuit.
Aut calatho crines, voti monumenta soluti,
Gestat, et abraso vertice multa canit.
Tandem caerulea veniens in veste sacerdos,
Neptuni signum portat, et ipse canit.
585 Ut tulerit sortem pelagi Deus, ut secet undis
Irriguis, viridi prata decora comâ.
Nutriat ut vitro squamosos gurgite pisces,
Et teneat totum sub ditione solum.

Fastorum Liber Septimus

Ut terras terris hominum commercia iungant,
590 Utque avidos tellus vix iuvet una viros.
Interea naves, fluvii quae in margine constant,
 Impletur, pompam concomitante Deo.
Qui postquam auratae est factus tutela carinae,
 Et placida fusas audiit aure preces,
595 Mactavitque bovem celsa de puppe minister,
 Atque in subiectas viscera misit aquas,
Tum classis geminas in classes lapsa recedit,
 Martia clarisona bella ciente tubâ.
Hinc vittae albatae, vexillaque candida surgunt,
600 Cernitur inde color quem vaga Tethys amat.
[182] Stat campus pugnae fluvius, qui nautica dorso
 Portet bella suo, velivolasque rates.
Arma eadem cunctis, conti sine cuspide, pectus
 Defendunt caesi terga resecta bovis,
605 Classicum ut insonuit, fremit undique Martia pubes,
 Fractaque sub remis Tybridis unda gemit.
Nec mora quisque sibi quem provocet eligit hostem,
 Hic incurrentem sustinet, ille ferit.
Succutitur, cadit in flumen Tyberina iuventus,
610 Et quas non vellet tangere potat aquas.
Ripa sonat plausuque virum, strepituque tubarum,
 Ut trusus prora est, ille vel ille suâ.
Inclusere undae voces, rediere reclusae,
 Ut quisque in summo redditus amne fuit.
615 Plebs risit, proceresque etiam risere vomentes,
 Et pressâ fluctus eliciente manu.
Contusae crepitant tonsi sub vulnere malae,
 Franguntur dentes, expuiturque cruor.
Nudantur prorae propugnatoribus actis
620 In Tyberim, ad paucos pugna redacta venit.
Irruitur, vacuam victor puppim occupat, et quos
 In fluctus misit gaudet ab amne tegi:

Fastorum Liber Septimus

- Aut fundo emissos undas versare lacertis,
Atque alios valida mergere ad ima manu.
- 625 Emicat alter ovans, calcatque haerentia certo
Corpora in amplexu, mox ruit ipse simul
Ille hostem pedibus retinet, rursumque tenetur
Crinibus, innumerae surgit imago necis.
- Fluctibus in mediis non cessat nautica virtus,
630 Solaque quae fluvius tela ministrat, habet.
Gratius haud quidquam populo concessit arena,
Hos docuit ludos aequoris ipse Deus.
Causa repitori fuit haec, lepus equora turbat
Exoriens, nautis facta procella nocet.
- 635 Nimbosi pedibus, subnectitur Orionis
Atque humiles madido sydere replet¹³ aquas.
[183] Replet, et insanae fugiens canis arida rostra,
In nubes, pavidus, quas facit ipse, latet.
Nec pavor est Lepori tantum, atra bile tenetur,
- 640 Spissaque, quae fecit, nubila tristis amat.
Hinc tempestati fiunt hac luce levandae,
Neptuno ludi, festaque sacra Deo.
Postmodo trans Tyberim Flamen Furinalia sacra,
In templo peraget Diva Furina tuo.
- 645 Caetera pars mensis ludis erit, excitat omnes
Circus, et in partes factio prona suas.
Hic favet aequoreo, viridi favet ille colori,
Rubra iuvant alios, sunt quibus alba placent.
Hic studio furit acris equi, campoque volantem,
- 650 Insequitur votis, lumine, voce, manu.
Alter in auriga pallet, dum cernuuus alte
Insonat, et volucres urget¹⁴ anhelus equos.
Omnis in eventu est meritae victoria palmae,

¹³ corr. pro teplet.

¹⁴ urget scripsi, nisi forte viget scribendum. Tex. habet v get spatio relicto.

Fastorum Liber Septimus

Nil amor, aut studium, nil pia vota valent.

655 Sis licet et ventis, et fulminis ocior alis,
 Si Fortuna neget, praemia nulla feres.
Te rota destituet, vel equus pede nudus utroque,
 Putridaque a forti rupta lupata manu.
Aut inter cursum detersus ab axe volanti,
660 Et dominum, et celeres deseret axis equos.
Quis furor, impensis magnis, vitaeque periclo,
 Quaerere, qua possis stringere fronde caput.
Vinciat ut foliis crines oleaster amaris,
 Aut Pythio viridis laurus amica Deo.
665 Ut te victorem praeco proclamet, et ut te
 Omnis foelicem dicat arena virum.
Haec ego non cupiam, Veneris sint praemia myrtus,
 Et me victorem clamet inermis Amor.
Sed potius melior revocet Fortuna Poetam,
670 Ut possim ludos cernere Roma tuos.
Et patris Augusti meritos testantia honores
 Festa, per et cantus, et celebrata choros.
[184] Iure vocate venis, te nunc mea carmina poscunt,
 Deque tuo dictus nomine mensis adest.

Fastorum Liber Octavus

Aequum erat ut magnus divini Caesaris haeres
 Sexili mensi nomina sancta daret.
Successit patri, mensi successit Iulo
 Mensis, ab Augusti nomine nomen habens,
5 Hoc primum fasces Augustus mense recepit,
 Finit hoc forti plurima bella manu.
Hoc quoque et imposuit finem civilibus armis,
 Clausaque Bifrontis templa fuere Dei.
Tres victor duxit magnos hoc mense triumphos,
10 Dalmaticum, Illyriis sub iuga nostra datis.

Fastorum Liber Octavus

- Signa erepta hosti, quae nunc Octavia monstrat
Porticus, in variis signa notanda locis.
Alterius maior moles, et causa triumphi,
Classis in Ambracio tota sepulta sinu.
- 15 Tertius Aegypto captâ, post funera pulchrae
Hostis, ab incesta praecipitata manu.
Terna dies tribus est domini concessa triumphis,
Candidior nobis non fuit ulla dies.
Quae capit immensos intra sua moenia Mundos,
- 20 Hospitibus potuit non dare Roma locum.
Ah memini, posita tum primum hoc tempore bulla,
Sustinui in summa pendulus usque domo,
Nec nisi praeterita potui discedere pompa,
Et locus infestus, Solis et ardor erant.
- 25 [185] Ibat post currum victis Messala Salassis,
Aureus in niveo conspiciendus equo.
Ibat et in picto Taurus visendus amictu,
Illyrios nuper fregerat iste truces,
Lucifer ut lucem Romanas sparsit in arces
- 30 Alter, et in Sacra plebs stetit alba via.
Fercula solemnis translata insignia pompae,
Spectata Actiaci sunt simulachra maris:
Ambraciusque sinus, montique innixus Apollo,
In Pharias classes fulmine et imbre furens.
- 35 Mille neces inter Caesar fulgentibus armis
Conspicuus, nudo provocat ense Duce.
Sed miser, ut pugnam fugiens Cleopatra reliquit,
Ipse quoque incestae victus amore fugit.
Durat adhuc bellum, virtusque in milite crescit,
- 40 Non sic a pavido destituenda Duce.
Tela manu, simul et mortes Aruntius infert,
Agrippa ignitas, altera tela, faces.
In cera crepitant flamuae fluctusque movetur,
Dum rapit, et revomit corpora caesa virum.

Fastorum Liber Octavus

- 45 Undae nativum commutavere colorem,
 Ignis dat croceum, purpureumque crux.
Tristis Aér erat, noctisque obscurus ab umbris,
 In quo Pöblicolam summa tabella dabat.
Antonique Duces alios, quos genua tenentes
50 Tollebat blandus Caesar utraque manu.
Rostra sequebantur captis erepta carinis,
 Armaque cum telis accumulata suis.
Hinc duo foelicis nuper praesagia pugnae
 Lente incedebant Eutichus atque Nicon.
55 Iste pedes dorsumque suo praebere magistro
 Gaudebat gradiens, Eutichus ipse vehi.
At miser Arrabiae Princeps, qui colla securi
 Devictumque caput suppositurus erat.
Squallidus, et strictis circum sua brachia vinclis,
60 Damnabat faciles in sua probra Deos.
[186] A dextra currus, albis Marcellus in armis,
 A laeva, in celso Claudius ibat equo.
Post currum proceres, qui belli laude superbi
 Virtutis tulerant bellica dona sua.
65 Altior inter quos Navalì Agrippa coronâ
 Insignis, fortis terga premebat equi.
Tertia lux aderat, Nili simulacra feruntur,
 Limosas vinctus post sua terga manus:
Barbaraque argento veros imitantia muros
70 Facta, per ornatas oppida lata vias.
Illud Alexandri nomen tenet, insula propter
 Est Pharos, in caeco conspicienda mari.
Hic Pelusiacâ distractus ab urbe Canopus,
 Et Libycae syrtes, Marmaricumque mare.
75 In cymba Palmae crocodibus colla revinctus
 Ibat, suppositis vectus et ipse rotis.
Marmoraque in statuis exquisitaeque tabellae,
 Vasaque materia plus preciosa sua.

Fastorum Liber Octavus

Reginaeque Phari visa est morientis imago,
80 Lethifera, niveos aspide laesa sinus.
Tum genus Antoni geminum, cui nomina Solis,
 Et Lunae, ambobus par iubar oris erat.
Stringebat rigidum iuvenilia corpora ferrum,
 Quae quondam gemmae distinuere graves.
85 Nil tamen iis maius mirata est Roma triumphis
 Caesare, maiestas huic fuit aequa Iovi.
Quem cum Tarpeia victorem vidit ab arce,
 Imperium Mundi tu tibi, dixit, habe.
Sat mihi si Coelo regnem, tibi serviat Orbis
90 Quacunque aequoreas Luna revolvit aquas.
Ille tibi currat qui prospicit omnia Titan,
 Eque tuis ortus, sub tua condat equos.
Sic ait, et nitida fulsere altaria flamma,
 Et laurus sacris increpuere focus.
95 Hinc pater Augustus coelesti digna parente
 Edidit, et magno plurima digna Iove.
[187] Iustitiam Coelis tractam, Pacemque reduxit,
 Omneque Romana trusit ab urbe nefas.
Correxit mores Censor, populique Tribunus
100 Concessit populo quidquid ab hoste tulit.
Non sibi, sed Patriae vicit, dedit omnia Caesar,
 Et pauper diti gaudet in urbe coli.
Et quamvis nequeat de carmine crescere nostro,
 Credibile est laetum laudibus esse suis.
105 Quid quod Pontificis supremi nomen habenti,
 Reddita templa Diis, redditia sacra Diis.
Aegypti spoliis, et fulvo dives ab auro
 Porticus extracta est Iulia, vota patri.
Cumque foret pax alta urbi, pax alta per Orbem,
110 A Superis plebi est certa petita Salus.
Correctoque anno foecundam Caesar Eleusin
 Tutricem mensi iussit adesse suo.

Fastorum Liber Octavus

- Cuius perpetuis sacravit templa Calendis,
Quae Marti Ultori voverat ille prius.
- 115 Cum sceleratorum maduerunt caede Philippi,
Placavit manes Caesaris ille cruor.
Nunc mixtus Superis spectat certamen equestre
Quod Marti ludit bellica Roma suo.
Inque foro nati coelestis patris honores,
120 Augustique sui condita templa manu.
Qui delubra Spei, magni spes unica Mundi
Invisit, veteres restituitque focos
Haec Collatinus Sextilis luce priore
Vicino posuit conspicienda foro.
125 Hic ubi vaenit olus, qua nunc Carmenta propinqua
A tergo linquit culmina sacra Iovi.
Proximus hinc Titan feriatae gaudia Romae
Audiet, et laeta carmina mixta lyra.
Iulius has meruit laudes post funera, ob hostes
130 Caesos ad ripas barbare Boeti tuas,
Te canimus fractis languentem cornibus amnem,
Et Salsum victas qui latet inter aquas.
[188] Hispalin, et miserae lugubria praelia Mundae,
Et Capitolino fixa trophyea tholo.
135 Cumque a caesariae¹⁵ repetat sua nomina Caesar,
Amissis laurum substituisse comis.
At melius nuper caudae reparavit honorem
Nemaeus claro qui nitet igne Leo.
Deciderat crinitus apex caudaeque flagellum
140 Abstulerat febris tota per ossa furens.
Arsinois Veneri crinem pro fratre marito
Voverat, Assyrios si daret ille fugae.
Hunc positum in templo rapuit Berecynthia mater,
Et nostri, dixit, cauda Leonis eris.

¹⁵ sic exemplaria

Fastorum Liber Octavus

- 145 Tum superascendens nubes, stabula alta Leonis,
Et magni Solis lucida tecta petit.
Squallidus et multis Leo deformatus ab annis,
Lugebat capiti dissiluisse iubar.
Ut domina est aspersa comas, corpusque senile,
150 Et multo maduit cauda refecta mero:
Di nectar dixere, fugit, maciesque, situsque,
Caudaque luxuriat splendida crine vago.
Caesaries Berenicis erat, quam sidera septem,
Ceu gemmis totidem composuere novis.
155 Hinc Signo virtus reparatrix alma senectae,
Et in deciduas imperiosa comas.
Vina coercuerat Crater, stellatus in astris
Hic micat, et Crini Signa propinqua facit.
Quae cum natali sese sub luce dedere,
160 Cypridis et Bacchi munera laeta placent.
Inde agri genialis amor, nemorumque recessus,
Et quae fragranti flore renidet humus.
Gaudebit ducto non una in brachia rivo,
Et dabit unde favis mella reponat apis.
165 Sacra Diis faciet Nonis ad celsa Salutis
Colle Quirinali quae Dea templa tenet.
Iunonisque Iugae vico, prostratus ad aras
Thura feret Cereri, carmina dicet Opi.
[189] Quarto Idus geminis altaria structa Deabus:
170 Hic ubi Iunonis cernitur ara Iugae.
Ante Idus notas invisens Herculis aedes,
Custodi Circi victima taurus erit.
Tum medius cadet Arcturus, pennata Sagitta
Occidet, et tenebris se Lyra tota dabit.
175 Ah miser in primas veniet qui luminis auras,
Threicii vatis tristia fata feret
At foelix, si quis nascentes viderit Idus,
Cum primum nascens lumen ad astra feret.

- His populus festum celebrat nemorale Diana,
 180 Diva poli ad laudes et tua sacra veni.
 Non qualis tinctis humano sanguine cultris,
 Gaudebas Scythica relligione coli.
 Aut qualis forti crispans venabula dextra,
 Fulmineum certa cuspide figis aprum.
 185 Sed positis armis, visendaque fronte serena,
 In nostras sedes sanctaque lustra veni.
 Nuda genu, roseas strophio succincta papillas,
 Auratam raro rete tenente comam.
 Ecce lacus ridet Zephiro impellente, tibique
 190 Fons levis Egeriae subsilit, atque canit,
 Et tibi summittunt agitata cacumina luci,
 Urbis et Hippoliti moenia structa manu.
 Si deerit risus lacui, rugaeque recedant,
 Ceu speculo, dices, ecce Diana micat.
 195 Teque probans flammis, quibus es mirabilis aureis,
 Vitrea plus coelis ipsa placebit aqua.
 Tutas ire feras permitte Diana, canesque
 Emeritos collo demere vincla suo.
 Aegrotis scabiem, rabiemque, et cetera deme,
 200 Ut mereant nobis, qui meruere tibi.
 Itala terra tuas devotas excolat Idus,
 Et multo Hippoliti splendeat igne lacus.
 Nec nostros contemne choros, saltavimus ipsi,
 Et dedimus sacro scripta canenda loco.
 205 [100, sci. 190] Velatosque canes vittis, et floribus albis,
 Limina foelicis misimus ante domus.
 Armaque venatu templo defiximus apta,
 Et quidquid spolii praeda perempta dabat.
 Mitis Diva veni, qualem est expertus Orestes,
 210 Et qualem experta est Iphigenia Deam.
 Vel qualem Hippolitus, cum primum Virbius esset,
 Nymphaque coniugio visa beata Numae.

Fastorum Liber Octavus

Quem cum defleret, lacrymae fluxere perennes,
Et nunc pro nullo coniuge Nympha fluit.

- 215 Hi tibi plus coelo debent, seu Taurica dici,
Fascelis, aut alia voce Diana velis.
Hi nemus hoc, Numenque tuum, fontemque, lacumque
Et quae iussisti sacra Aricina colunt:
Et templum, regnumque tuum, quibus imperat ille,
220 Cui data per gladios regna nocente manu.
Et tamen ad sanctas gladio non utitur aras,
Lacte tibi, aut puro fert sacra casta mero.
Vel flore, hunc carpsit quem virgo virgine dextra,
Cum cupid ad sponsum sponsa venire suum.
225 Tunc tu Luciferae gaudes cognomine Divae,
Dum tibi luciferam fert nova nupta facem:
Et zonam portat, quam prima nocte maritus
Solvit, inexperto consociata thoro.
Teque vocat, faciles concedas anxia partus,
230 Lucinae ut possis nomine Diva coli.
Et tua Aventino¹⁶ sub cumine templa Diana,
Idibus iis servus, cultaque serva ferunt.
Tullius haec vovit, qui servâ natus in aede
Tarquinii, Servi nomen et inde tulit.
235 His orto in lucem, cum tu Lucina faveres,
Exarsit nitida splendida luce coma.
Quod dedit Imperii praesagia certa futuri,
Hinc illa regnat servus in urbe die.
Ludunt cum dominis servi, feriataque turba
240 In multo celebrat festa proterva mero.
[191] Conveniunt Latii populi, mixtique Latinis
Volsci¹⁷, quisque suam mactat in aede bovem.
Sed prior Antistes Romanus carmine vatum

¹⁶ corr. pro voc. Anentino

¹⁷ corr. pro voc. Volci

- Admonitus, vaccam mactat in aede Deae.
245 Quae postquam caesa est, lautis matrona capillis,
In Veneris gremio grandia tensa locat.
Nec nisi quae casta est, et ab omni devia culpâ,
Audet Acidaliae talia ferre Deae.
Dum virgo puppas offert, et quidquid inane
250 Inter delicias credidit esse suas.
Ocrisia et Veneri puppas, et serta Diana,
Et dederat cupido florea serta Lari.
Serta Deo placuere, sed et plus floribus ipsis
Forma decens placuit, virgineusque pudor.
255 Exerit ora foco rubicundo tincta colore
Hortorum verpum qualia numen habet.
Instat amans, et qua licuit penetralia parte
Intrat, fit mater quae modo virgo fuit.
Luna novem menses impleverat, editur ecce
260 Tullius, exultat Regia tota domus.
Hunc sibi iam generum Tanaquil cupid, arguit illum
Et vigor, et species sanguinis esse Deum.
Lilia tunc violis miscet, plexaque corolla,
Foecundi exornat membra pudenda Laris.
265 Hinc honor est veretro, quod amat matrona pudica,
Et colit, et florem, quem cupid ipsa, legit.
Hoc cum plaustello vectum est Romana per arva,
Romanaeque urbis compita, perque vias.
Statque coronatum spectandum in Cypridis aede,
270 Servorum festus desinit esse dies.
Est prope Aventinae templum commune Diana
Lucus, in hoc laurus consita sacra fuit.
Proximus hinc vicus Laureti nomina sumpsit
Maioris, Thusci nomen et ante tulit.
275 Thuscus Aricino victus Porsenna duello
Hic stetit, et patriae nomina ferre dedit.
[192] Unde venit Tybris, qui quod se vertat in Ortum,

- Vertumni dudum nomine dictus erat.
 Hunc inter patrios Divos Porsenna colebat,
 280 Et struxit Romae parva sacella Deo.
 Ad vici caput Etrusci, qua laurus opaca
 Montis Aventini terga recurva tegit:
 Despectatque Forum, atque olim Velabrum lacunis
 Obsita, in has crescens Tybris agebat aquas.
 285 Nunc refugis valles implet, camposque iacentes,
 Et rapidus ripas atterit usque suas.
 Hinc quod se primo avertit Tyberinus ab alveo,
 Vertumni nomen cepit habere Dei.
 Idibus is fructus vertentis percipit anni,
 290 Pomaque cum spicis accipit ara vetus.
 Quatuor adde dies Portumno nautica turba
 Imponet calidis pinguia thura rogis.
 Qua pons Aemilius Tyberinas corrigit undas.
 Et duro cogit subdere colla iugo.
 295 Hic Portumni aedes, veniens quam nauta salutat,
 Dum portum optatum concava cymba tenet.
 Et dicit, Deus ô pelagi, qui iuncta parenti
 Templa tenes, toto Numine prosper ades.
 Istmica sic Graii semper certamina current,
 300 Victoremque apii laeta corona tegat.
 Aeolus iratos qui clauso carcere ventos
 Continet, in ventos det tibi regna suos.
 Nominis oblitus veteris Melicerta vocari
 Abnus, atque aliud nomen habere cupis.
 305 Quod fluctus agites, dixere Palaemon Graeci,
 Verum alia in nostris nomina sumis aquis.
 In portus ius omne tuum est, Portumnus ab illo
 Diceris, et servas quae data regna tibi.
 Terram inter fluctusque habitas, simul aequora claudis,
 310 Atque aperis, tutas et facis esse rates.
 Vere novo sumis dedimus quae liba Patulcus,

Fastorum Liber Octavus

- Clusius Autumno quae tibi liba damus.
[193] Ut lubet incurvae sulcant vada tuta carinae,
 Et ponto per te cum lubet ira redit.
- 315 Solvimus ecce tibi servati in litore nautae
 Vota, comasque tuo pendimus ecce tholo.
Da faciles iterum fluctus, ventosque benignos,
 Et dabimus templis dulcia liba tuis.
Annuit, excutiens caput Deus, ara refulsit,
320 Incinctaeque apio diriguere comae.
Sustulit et dextra claves, quibus aequora claudit,
 Atque aperit, sanctae sic valuere preces.
Haud procul hinc Tyberinum inter Capitoliaque alta
 Bifronti Iano victima grata cadit.
- 325 Qua nunc cernuntur Marcello dicta theatra,
 Non minimum retinent haec monumenta locum.
Dîs placet et pietas, et quae consortia nostra
 Liquit, iamdudum lucida facta Themis.
Sive est Erigone quae Signum Virginis edat,
330 Seu Dice, Arcadii credita nata Dei.
Erigonem pietas astris dedit, intulit iisdem,
 Dicen, sacrati iuris apertus amor.
Hanc pater edocuit, quae post matura docebat
 Virgo viros, Mundo cum bona saecla forent.
- 335 Iusta, fidem, puros mores, sine crimine vitam,
 Quoque Deus ritu quisque colendus erat.
Sydera quid possent, quo Numina sancta vocari
 Carmine, quae magicis herba sit apta sacris.
Conveniant quae verba Foro, quae verba theatris,
340 Quae moveant faciles in sua iussa choros.
Haec docuit, Coeloque paternis se intulit alis,
 Et Virgo virgâ conspicienda fuit.
Hanc quoque tradiderat natae Cyllelius, illa
 Manibus infernis cognita, nota Diis.
- 345 Quae simul illuxit, nascenti inspirat amorem

Fastorum Liber Octavus

- Eloquii, et magicis carmina facta sacris.
Fatorumque vices, quid fulgida sydera portent,
 Quid vultu, aut nitida linea ducta manu
[194] At cui, quam dextra portat, monstrabit aristam
350 Virgo, picta suo flore placebit humus.
Munditiae, cultusque aderunt, artesque decorae,
 Atque in foecundo spica recurva solo.
Exere Virgo comas de fluctibus, et face pura
 Saturni priscos aurea redde dies.
355 Fac niteant nobis geminum, tua lumina sydus,
 Et quae tam claris ignibus ala micat.
Foelix nascenti triplex cui fulserit astrum,
 Infula succinget Pontificale caput.
Ingenio et pietate decus, laudemque parabit,
360 Eloquo dives, divitiisque potens.
Bella ducum, Regumque iras componet, et alte
 Quae resonant rauco iurgia saeva Foro.
Sint modo deliciae procul, et procul otia, Virgo
 Quae fingit nascens, quaeque Cupido facit.
365 Vina fuge, et quae meretrix incendia miscet,
 Dum capiti flores aptat, et ipsa bibit.
Nec te decipient rapti Ganymedis honores,
 Haec vetus est toto fabula nota polo.
Non emitur vitiis Coelum, virtute paratur,
370 Nunc risus Coelo est, qui Iovis ardor erat.
Et Phrygius puer ille sacro pro nectare nobis,
 Concretas duro frigore versat aquas.
Ipseque Coelicolum Deus, et vesanus amator,
 Dat sceleris poenas impia factus avis.
375 Ultricesque timens Astraeae Virginis ignes,
 Aufugit, Oceanoque hac oriente cadit.
Occidit et Delphin Musis sacer, et sacer iisdem
 Pegasus, aerii Bellerophontis equus.
Ambo donati Coelis, Coelisque recepti,

Fastorum Liber Octavus

- 380 Qua currit factis sydere Nilus aquis.
Ille quod aequoream placaverat Amphitriten
 Neptuno, et thalami conciliator erat.
Iste quod aequoreo Neptuno, matre Medusa
 Natus, Pierias ungue reclusit aquas.
- 385 [195] Unde pius vates quisquis potaverit, ille
 Et Phoebo et Musis carmina digna canet.
Dicite, turba Diis gratissima, postera quid lux
 Adferat, et quo sit concelebranda modo.
Dicite, vos Liber pater et Venus aurea festi
- 390 Antiqui authores, ut voluistis, amant.
Arrisit, Cytheraea, genis decor igneus illi,
 Atque ait, optati carminis author eris.
Et simul ignoto tumuerunt pectora ab aestro,
 Nativo melior spiritus intus erat.
- 395 Ecce cano quod Diva monet, quod suggerit ipsa,
 Credite! nunc primum est facta Poeta Venus.
Victor arundineo Bacchus veniebat ab Indo,
 Remivolâ verrens aequora salsa rate.
Pampinus et remos, et puppis celsa tenebat,
- 400 Proraque pampinea consita fronde fuit.
Hic Satyri thiasos, Silenumque agmina quassant,
 Quassat et insano Numine Baccha furens.
Cornua raucisono stridebant excita bombo,
 Et dabat horrendos tibia curva sonos.
- 405 Haec ubi quaesitos tenuit ratis advena portus,
 Qua fluvius flavas in mare ructat aquas,
Nondum nomen erat fluvio, post Albula dictus,
 Nunc Tybris, Thusci gloria prima soli.
Desiliit Bacchus, Bacchae saliere canentes
- 410 In litus, subito est terra retrita choro.
Hac tunc in ripa Divi convivia agebant,
 Iupiter hîc patri conciliatus erat.
Nondum vina aderant, per quae concordia durat,

Fastorum Liber Octavus

- Et fiunt isto foedera firma bono.
- 415 Bacchus adest, lautae frigebant fercula mensae,
Vina dedit, fuso Di caluere mero.
Tum veteres abierte sacro de pectore rixae,
Poenituitque Iovem bella tulisse patri.
Sed prius antiquo celebrat libamina ritu
- 420 Bacchus, et absolvit religione Deos.
[296, sci. 196] Utque terebrato diffusum vase liquorem
Excepit patera, fudit et ante Iovem.
O pater, aeternum faciat quod postera semper
Aetas, ecce tibi munera nostra damus.
- 425 Macte mero inferio, dum primo spargimus aras
Calpare, in ardentes coniicimusque focos.
Has tu primitias longi monumenta laboris
Accipe, de nostro sunt mera pressa pede.
Et simul assumens pendentes cornibus uvas,
- 430 Expressa est forti sacrima pura manu.
Tum Deus ad Venerem, Marti vicina sedebat,
Libamus, dixit, pingua musta tibi.
Dulcia amas, seris et dulces in pectore curas,
Et lusus molles, blandiloquosque iocos.
- 435 Otia te retinent, retinent te carmina, et ipsa
Pieridum sacro dum canit ore cohors.
Te flores, somnique leves, permixta cachinnis
Murmura, et Ambrosio pocula plena mero.
Nos sumus unanimes, tibi munera nostra probantur,
- 440 Et tua, quae donas munera, sponte probo.
Editus in flammis flamas amo, congere flamas,
Tu mihi, tu vitam Cypris amica dabis.
Haec summo placuere Iovi libamina, Liber
Quae fecit, Veneri nec placuere minus.
- 445 Hinc mos permansit Latio libare quotannis
Musta bonae Veneri, primaque vina Iovi,
Ambobus lux festa illa est, Vinalia dicunt,

Fastorum Liber Octavus

- Quae cum praeterit, tangere vina licet.
Est cum Romanis templum commune Latinis,
450 Imminet Albanis montibus illud opus.
Olim Tarquinius fecit, Latioque dicavit
 Illa Iovi, et fuso calpare sacra dedit.
Hoc quoque nos facimus, Venerisque aspergitur aris
 Cum mollis milii pulte refriva faba.
455 Spargimus et mulsum, quod suffimenta vocamus,
 Et contrita piâ myrtlea serta manu.
[197] Ad Libitinensem lucum, Circumque, duobus
 Est templis una luce recepta Venus.
Mille sacris coleris Romani sanguinis author,
460 Et misces variis Numina nominibus.
Tu Cluacina Venus, tu Murtia, tu Libitina,
 Calvaque, et a verso nomine corda tenes.
Tu Victrix, Genitrix, Erycina, atque Alma vocari
 Gaudes, cumque tuo mitis Amore coli.
465 Te colit hortenses olitor qui colligit herbas,
 Cum dat purpurea lilia iuncta rosa.
Et tibi, de pelago natae, fert navita sacrum,
 Ne noceant venti, ne noceantque freta.
Finieram, calamumque manus demiserat, ecquid
470 Diva ait, in lasso corpore carmen hebet?
Meque fugis, nostrasque artes, versusque, quod illi
 Exilii fuerint causa secunda tui.
Disce metu posito, quae nunc cantare recusas,
 Et superest, prisci temporis acta canam.
475 Thura Pater Liber, captivaque cinnama sumpsit,
 Et dedit ardenti cuncta cremanda foco.
Tum Dis distribuit, quas fecerat ipse, corollas,
 Et vario mensam flore nitere dedit.
Saturno veteri vino, Ianoque Bifronti
480 Libavit, priscis vina vetusta placent.

Fastorum Liber Octavus

- Ingesti calyces, et crebro vina¹⁸ minister
Adtegrat, exuperat cymbia plena liquor.
Utque epulis finis, cyathum circumtulit idem
Bacchus, et hunc iussit Daemonis esse Boni.
- 485 Hunc vos servatis, quem servat Graecia morem,
Creditus est laesos conciliasse Deos.
Tristia miscentur laetis, e piscibus unus
Occiderat, lacrymis unica causa meis.
Hic me cum socio vectam per caerula concha,
490 Duxerat in Cyprum, floriferamque Paphum.
Illi, devectae per Nili fluminis undas,
Pulchrum Cyniradem supposuere mihi:
[198] Attica quem celebrat tellus, quem Cyprus, et ipsa
Aegyptus, sancti quem coluere Syri.
- 495 Egaea inde vagis ferientes aequora caudis,
Pergameo lassam constituere solo.
Hic madidam Anchises frondosae in vallibus Idae
Excepit, molli compositque thoro.
Quid memorem nostros et saevi Martis amores,
- 500 Mercuriique ignes, Aequoreique Dei.
Et mihi suppositos pisces, cum mergeret unda,
Incolumem tutis deposuisse locis.
Quamque Syri Syriam dicunt Euphratis arenae
Ingressisse, ovo tum Dea nata fuit.
- 505 Et stygio salvasse meam Phacelin ab amne,
Perque illos Latium me tetigisse solum.
Pro quibus officiis, nil vobis confero pisces,
Nil, praeter lachrymas, funereosque sonos,
Occubuit Notius, macrescit fratre perempto
- 510 Arcticus, in nullo vestra favore Dea est.
Iupiter audivit, complexatusque querentem,
Et tuus in nostro est pectore, dixit, amor.

¹⁸ corr. ex erratis pro vena

Fastorum Liber Octavus

- Ecce tui per me fient nova sydera Pisces,
Hic Boream cernet, cernet at ille Notum,
515 Quaque die Notius vitâ decessit, et illâ
Occidet, Hesperiis corpora tectus aquis.
Utque stetere simul quondam in temone iugales,
Adstricti nodo per iuga longa brevi.
Innabunt una per celsi caerula caeli,
520 Claraque erunt bis sex vincula syderibus:
Ast ubi se in sese delapsus verterit annus,
Meta illi et Soli fulgida Nodus erit.
Dixit, et ut rata sunt quae Iupiter edidit ore,
Inscripta in Caelis Signa propinqua micant.
525 Desierat Venus, et nutu, si plura Poeta
Optarem, placidam se fore pacta fuit.
Tunc ego, nata salo, cur Tempestatibus illa
Pacandis fiunt plurima sacra die.
[199] Quaesieram, retulit: Corsis Marcellus ab undis
530 Ereptus, votum solvit in Urbe redux.
Et Tempestatи posuit delubra, Capenam
Portam extra, vitreis qua fluit amnis aquis.
Et quia collisos fluctus nos dicimus agnos,
Quos velut albenti vellere spuma tegit,
535 Dicimus et capras pelago saltantibus undis,
Et tauros in quos nigra recurrit aqua.
Hinc vulgo sermo, spumantis imagine tauri
Hippoliti fusos per rude litus equos.
Hic taurus, cumulus fuit exitialis aquarum,
540 Mugitu similes qui dabat ore sonos.
Mugit enim pelagus, pulsoque ad litora fluctu,
Scinditur, inque sua cornua fronte refert.
Inde ferox taurus Cocyti nigrior unda,
Agnaque et albenti vellere capra cadit:
545 Cum Tempestatи sedandae sacra sacerdos
Perficit, et vario sanguine tingit humum.

Fastorum Liber Octavus

- Hic Dea finierat, dilapsaque nulla repente
Visa est, non ultra quod loqueretur erat.
Hoc prohibet Consus, cui muta silentia cordi,
550 Quem sua, post Bacchi festa proterva, iuvant.
Hic latet occultus terrae, seseque videndum
 Dat nusquam, inieicto creditur ara solo.
Consilii Deus est, quem quisquis consulit, ille
 Responsa e tanto Numine certa refert.
555 Una dies illi sacra est, qua victima mulus
 Concidit, et multâ cripta fit alba face.
Inde venit gravidis crines circumdatus uvis
 Autumnus, musto perlitus ora suo.
Et succincta latus ramis Pomona recurvis,
560 Unde queas prompta carpere poma manu.
Inclinata iacet pelago Lyra, flebilis Orpheus
 Hanc tenuit, rapta maestus in Eurydice.
Plorat adhuc Caelum, telluremque imbribus urgens.
 Cogit ad ardentes nos remeare focos.
565 [200] Hinc feriae veniunt Vulcani nomine dictae,
 Hic flammae custos, Numen et ignis idem.
Cui pater ipse olim Romanae conditor urbis,
 Rure suburbano parva sacella dedit.
Cameriae spoliis, curruque ex aere nitenti
570 Ornavit, statuam overat ante suam.
Ut simul accensus tepidis est ignis in aris,
 In flammas raptim victima crebra datur.
Et quam quisque legit pro se dat in igne cremandam,
 Hac annos redimi, credit et ipse, suos.
575 Et nisi consumat, quodcunque immittitur, ignis,
 Istud grande nefas, et scelus esse volunt.
Hoc nostri patres dixere Protervia sacrum,
 Illo quisque sua pellit ab aede malum.
Armaque de victis in acervum missa cremantur,
580 Discincto flammas subiiciente Duce.

Fastorum Liber Octavus

- Vulcano sacrum populus circumspicit, et dans
Laetitiae signum plaudit utraque manu.
Templa Dei servat custos canis, atria servat,
Latratu fures, sacrilegosque fugans.
- 585 Utque Lares dominis fidi, Vulcania fidus
Numina custodit, donaque vota Deo.
Area sacra etiam Vulcano luce propinqua
Visitur, inque ipso Luna colenda loco.
Illa Palatino monti, Graecostasis hic est
590 Condita, de flamma lucidiore calet.
Huic vicina Numae est barbati Regia, propter
Ops ubi, Consivae nomine, fana tenet.
Publicus haec intrat tantum post vota sacerdos,
Vestalisque alba veste reiecta caput.
- 595 Postmodo pagus agit Volturno festa, chorisque
Insulsos miscet rustica turba iocos.
Roscida sub croceo pulsere crepuscula caelo
Altera, Iulao est Curia sacra patri.
Quaecumque Aegypto capta preciosa putavit
- 600 Augustus, pendent illa refixa tholis.
[201] Venit in hanc etiam Victoria vecta Tarento,
Aureaque in celsa cernitur ara Dea.
Hanc Princeps, Patresque colunt, semperque recenti
Munere, et halanti fervida thure calet.
- 605 Iurat in hanc factus Consul, iuratque Senatus,
Non aliter constans creditur esse fides.
Aeternam faciat Divae reverentia Romam,
Ne fugiat, forti compede nexa pedes.
Sint quamvis pennae, pennarum desinat usus,
- 610 Et¹⁹ Diva in nostro stet diurna solo.
Sit comes illa tuis semper Germanice castris,
Et nectat galeae laurea sertata tuae.

¹⁹ corr. ex erratis pro Ut

Fastorum Liber Octavus

Quot Gentes Orbi, tot sint tibi nomina victae,
Non satis est Rhenum succubuisse tibi.

615 Utque tuos ortus praecessit Diva, volatu
Indefessa tuos ad nova Regna vocet.
I, sequere, i, niveis plaudens circumsonat alis,
Perque vias palmas versat utraque manu.

Et tibi non noceat patuit quod ianua Ditis,
620 Praecedensque etiam dicta sit atra dies:
Infernus sacrata Diis, Cererique gementi
Persephonen, atque Umbris quas niger Orcus habet.

Utque Polum lucens Mundus qui sydera versat,
Sic Mundus tellus dicitur inferior:
625 Cumque ista populo mysteria luce patescant,
Quae Cereri fiunt, Tartareisque Diis:
Inde patere vocant Mundum, lucemque patentem,
Victima cum nigris Manibus atra cadit.

Victima nigra cadit, nigrâ est in veste sacerdos,
630 In nigro sanguis diluiturque mero.

Iustitium est, tunc iura silent, sanctusque Senatus
Mussat, et in castris bellica signa tacent.
Sunt procul a nostris convivia splendida mensis,
Convenit in dextram foemina nulla viri.

635 Et quamvis nos bella vocent, tamen arma movere,
Aut conferre manum, creditur esse nefas.

[202] Religio vetat hoc, experti sanguine fuso
Insignem hanc nostris cladibus esse diem.

Sed cum linquetis metas, queis Consus habetur
640 Conditus, et Veneris murtea sylva teget.

Thura Deae, date thura, Dea est, quae Murcia nobis
Dicitur, a murtis Murtia dicta prius.

Hic habet alma Venus templum, qua desinit esse
Collis Aventinus, planaque facta via est.

645 Conservate tamen, Veneri cum sacra feretis,
E vestro coniux quod ferat ipsa cado.

Fastorum Liber Octavus

Septembris custos mensis Vulcanus habetur,
Liba petit, paucō diluta liba mero.

[223, sci. 203]

Fastorum Liber Nonus

Ut Veneri Aprilis, Veneris sic iste marito
Autumni primo tempore mensis adest.
Ver Veneri, floresque placent, et garrula fontis
Murmura, et a Zephyris quae levis aura venit.

- 5 At fructus Vulcanus amat, follesque focumque,
Et mensam fuso quae natet uda mero:
Et dulces laetis quas legit vitibus uvas,
Et quae de ramo poma petita cadunt.
Ambos undifremens Tethys de culmine coeli
10 Praecipites, vitreo fovit amica sinu.
Illi prima virens Cyprus cunabula fecit,
Huic primos stravit Lemnia terra thoros.
Nuda Venus tacitis depascitur ignibus artus,
Et gerit in tenera ferrea tela manu.
15 Fumosa nudus versat sua membra taberna
Vulcanus, sed quae non gerat arma facit.
Diva Elegos, quod sint faciles in Amore ministri,
Blandaque describant vulnera Amoris, amat.
Uno Vulcanus brevior pede gaudet iisdem,
20 Pentameter brevior quod sit ut ipse pede.
Iste faces nuptis praefert, connubia curat
Alter, et in gemino gaudia corde serit.
[204] Ambo divisas terris vasto aequore terras,
Oppidaque in curvo litore structa colunt.
25 Hinc Paphia, Aegeis, Cypris, Cytherea, Amathusa,
Idalis, et Gnydi nomine dicta Venus.
Vulcanus, Siculus, Lyparaeus, atque Hieraeus,
Euonymus, Didymus, Strongilus, Aeolius.
Quam bene conveniunt inter se humorque calorque

Fastorum Liber Nonus

- 30 Tam bene Vulcano convenit et Veneri.
Dicitur inde Venus Vulcano iuncta marito,
 Vulcanus calor est, humor aquosa Venus.
Utque creare solet calor humidus omnia, Cypris
 Vulcani coniux humida, cuncta creat.
- 35 Hinc duo foecundos faciunt Elementa maritos,
 Et bene concordes ignis et unda thoros.
Cessit Quintilis tutelam mensis Iulo
 Iupiter, et Iuli nomen habere dedit.
Utque sui mensis custodia tutior esset,
- 40 Sextilem Augusto cessit amica Ceres.
Septimus hic a Marte bono qui nomina mensis
 Sustinet, in nomen Principis ire cupit.
Sat patri, sat avo factum est pater optime Caesar,
 Maior avo Princeps, atque parente tuo.
- 45 Testis es Armenia, in nostris, quae Parthus habebat,
 Ense tuo pendent signa recepta tholis.
Vindelici testes, Rhetique, et Dalmata saevus,
 Et cum Germanis subdita Pannonia:
Illyricusque ferox, qui te victore superbus,
- 50 Ante triumphales plurimus ivit equos.
Implesti fama Mundum, variisque triumphis
 Notus, cum Superis par quoque Numen habes.
Iamque uno factis minor es Iove, cetera Divum
 Turba dat astrictas ad tua iussa manus.
- 55 Quid memorem saevos casus terraque marique
 Vitatos, Superum non sine praesidio.
Livia Spartana vixdum discesserat urbe,
 Illi tu solus sarcina grandis eras.
- [205] Lassa resedit humo, ramis facientibus umbram,
- 60 Muscus ubi vitreas palpitat inter aquas.
Circum sylva ingens, pendebas ubere matris,
 Cum frendens fulmen venit ab arce poli.
Flamma fuit, totusque arsit de fulmine lucus,

Fastorum Liber Nonus

- Et pars materna est maxima adusta togae.
- 65 Nulla mora est, Vulcanus adest, fugit ocyor ignis,
Et melior nuper quam fuit umbra redit.
Laetatur patulae, reparatum frondis honorem
Garrula contritis sylva cacuminibus.
Et reparat siccas viridi de gramine ripas,
70 In crystallina qui fluit amnis aqua.
Praecessit te flamma micans, noctisque sequentis
Discussit clara nubila crassa face,
Monstravitque viam, qua tuto exedere posses,
Quod te servabat Numen ad Imperium.
75 Hoc tibi, cum Syriam peteres, dedit omina certa,
In dextra Mundi regna futura tua.
Qua Brutus socio solvit cum Consule poenas,
Plurima stat Magnis ara dicata Diis.
Has victor posuit miles, tibi sacra paranti,
80 Victima multa quidem, nullus at ignis erat.
Cum subitis totae micuerunt ignibus arae,
Quaque cremaretur victimam flamma fuit.
Hoc tibi Vulcanus fecit, quo numine mensis
Hic gaudet, faustos ut velit esse dies.
85 In sua iura tuum nomen cum Numine adoptat,
Nomine Tyberium iam meliore vocans.
Hoc quoque sanxerunt Patres, sed parcus honorum,
Quod datur, hoc tantum ne mereare, times!
Teque hominem credens, cum sis Deus, unica grata est
90 Vox tibi, cum Patriae diceris esse pater:
Vulcanique patri permittis habere Calendas,
Quas vult Maemactes Iupiter esse suas.
Hoc sibi desumpsit, quod concitet aëra nomen,
Septembrisque cupid luce priore coli:
95 [226 sci. 206] Qua feriae fiunt Neptuno, multaque templum
Hostia perfuso sanguine tingit ovis.
Sunt Feriae, quod iis feriatur victimam dictae,

Fastorum Liber Nonus

- Quodve ferantur iis munera larga Diis.
Stativae certo celebrantur tempore, quales
100 Carmenta, inque imo colle Lycaeus habet!
At Conceptivas edicit Curio, suntque
 Nobile ab imperio quae mihi nomen habent.
Gens quoque multa suas ferias, et sacra procurat.
 Privatos celebrat dum domus una Deos:
105 Natalesve suos, aut funera, fulgura vel si
 Suscipiat positis velle piare focus.
Totus it in ferias mensis, ludosque, nec alter
 Fertilior festis, fertiliorve sacrис.
Roma potens viridi de lauru nocte coronas,
110 Sertaque victrices implicitura comas.
Una dies vidit fugientes aequore classes,
 Et Pelusiaco tincta crux vada.
Vidit et Actiaco dependens colle trophyaeum.
 Captaque tartareis arma cremata Diis.
115 Imperiumque eadem Augusti, Pacemque reductam,
 Et cum Pace Fidem, sydereumque Themis.
Ob victas Macedūm copias lux postera festa est,
 Atque eadem Nysae concelebrata Deo.
Vinitor in corbes versans quos falce racemos
120 Carpsit. Io cantat Bacche benigne veni.
Et simul iniiciens vicinae in colla puellae
 Brachia, cum Baccho tu quoque Cypri veni.
Dicit: et admota temulenta ad basia bucca,
 Mille reluctanti sumit, ab ore rosas.
125 Illa calet, calet ille novo flammatus ab igne,
 Pomaque decerpit candidiora nive:
Et tunicam tentans removere, Cupidinis arma
 Expedit, ingenito virgo pudore rubet.
Clamat open, veniunt mater, fraterque, sororque,
130 Et pater, in magno est tota caterva metu.
[209] Aegre diripitur iuvenilibus illa lacertis,

Fastorum Liber Nonus

- Ceu direpta avidi dentibus agna lupi.
Frendet amans, frendet tentato in crimine turba,
Mox ridet, risum rixa proterva facit.
- 135 Inde ioci, choreaeque, alternaque carmina, colles
Subsiliunt, tremulis fit leve murmur aquis.
Romulidum ecce nurus sua pectora vellere tectae,
Miscentur choreis, et nova musta bibunt.
Vite caput tegitur, pendent de fronte racemi,
140 Aut hederae cingunt fronde virente comas.
In dextris thyrsi, vel surdo cornua rumbo,
Tympanaque, et vario cymbala fracta sono.
Altera se facies aperit, dum flammea torquet
Lumina qui toto pectore Bacchus inest.
- 145 Idem omnes simul ardor agit, fit clamor, et alte
Percussi reboant sylva, lacusque sono.
Accedunt iuvenes devincti crura cothurnis,
Perque coronatas serta soluta comas.
Pana Deum simulat, Silenumve ebrius ille,
150 Qui tremulos ferula fert titubante pedes.
Quos Satyri celeres, lascivaque turba sequuntur
Thyades, atque suis Maenas iniqua genis.
In medio puer intonsa, laetaque iuventâ,
Pendente ex humeris nebride cinctus erat.
- 155 Digna Deo facies, petulanti in lumine risus,
Ingenua, et nullo pectine ducta coma.
Candentes humeri, pectusque, et brachia, et ipsa
Crura, extinguebant marmor, eburque novum.
Uvam dextra tenet, tenet uvam curva sinistra,
160 Mixtaque cum fulvis dulcia poma pyris.
E quibus educit pudibunda cuniculus ora,
Ut placet, laesit quem ferus ante Deum.
Placabit, sed morte sua, dum gutture scisso,
Hostia Lenaeos concidet ante rogos.
- 165 Scilicet effossis radices vitis ab antris

Fastorum Liber Nonus

- Eruit, et tenero palmite vixit iners:
[208] Corticibusque novis pomorum dente maligno
Dum nocuit, trunco praebuit ille necem.
Hunc ideo sibi mactari Semeleia proles,
170 Pomorumque sator, vitisatorque cupit.
Quam bene dissimulat Bacchum puer improbus, et quam
Proxima bis geniti prostat imago Dei.
Hunc decuit genuisse Iovem, Lascivia circum,
Blanditiae, et Lusus, Ebrietasque iacent.
175 Accipit hos omnes currus, sublimis in illo
Pantheras solo Numine Bacchus agit.
Non illis sunt fraena feris, prudentia dicit,
Brutorum insutos pellibus una viros.
Post currum agrestes, pars coeno perlita vultus,
180 Aut fuligineo picta colore venit.
Pars in divulso tota est sub cortice tecta,
Aut latet in densis arboris acta comis.
Aut minio rubet ardenti, mustove recenti,
Omnibus ex voto mimica larva fuit.
185 Hircus erat, ductus cornu sacer hircus ad aram,
Occiderat, pendet victima fixa veru.
Diripitur, praebetque escam poscentibus, Orpheus
Scissus ab irata Maenade talis erat.
Non illi cantus, non Bacchica sacra reperta,
190 Non dulces cytharae tunc valuere soni.
Hic panes in frusta abeunt, sectique racemi,
Sportulaque intorto vimine facta cadit.
Talia Pirithoi veteres connubia cantant,
In quibus intactus vulnere nemo fuit.
195 Laetior ista quidem rixa est, leve vulnus utrinque,
Bellaque pacificus qualia Bacchus amat.
Quisque rapit, quod quisque probat, nil triste probatur,
In caput innocuus corbis et uva volant.
Hunc cum fronde sua vitis concussa flagellat,

- 200 Aut hederae, Bacchi serta dicata comis.
 Ille levi vapulat nudato cuspide thyrso,
 Aut sentit pavidae tergora rapta damae.
 [209] Alter missa manu bellaria blanda remittit,
 Pomaque lascivo quae decidere sinu.
- 205 Purgamenta animae vannus tenet, et tenet ova,
 Vivaque mordaci sulphura mixta sale.
 Sunt qui Cadmaeis portent abscondita cystis
 Orgia, Thebani quae reperere viri.
 Fertur et obscoeni plaustro pars nota Priapi,
 210 Et quae non vellet tangere casta nuces.
 Non illo bona verba die: lascivia regnat,
 Ebrietas petulans, et malesana Venus.
 Luditur incompto versu, lusuque soluto,
 Excitet ut Venerem psaltria carmen habet.
- 215 Interea plenis spumat Vindemia labris,
 Praelaque concusso vecte repressa gemunt.
 Fons fluit, et diti restagnat cupa liquore,
 Dum largus medicas fundit Iacchus opes.
 Plebs, Patres, Princeps, virgo, matronaque, gaudent
 220 Festum hoc per plures concelebrare dies.
 Addunt et noctes, quas multa lampade rumpunt,
 Dum faciunt Bromio festa proterva Deo.
 Festaque devictum ob Persen, Volscosque rebelles,
 Miscent, qui quondam bella tulere novem.
- 225 Deque triumphatis fiunt sacra laeta Phaliscis,
 Et Veiis aegre sub iuga nostra datis.
 Tunc quoque dicuntur laudes in carmina missae,
 Ob victos Poenos magne Metelle tuae.
 Ante graves currus tredecim selecta videbas
 230 Corpora, magnanimum corpora capta ducum.
 Et quas Roma boves mirata est, nomine lucae,
 Queis nivei dentes, atque proboscis ebur.
 Bellua Romano nondum bene cognita civi,

Fastorum Liber Nonus

- Intulerat pueris, virginibusque metum.
235 Cum ducta in Circum iaculis confossa perempta est,
Tum lucae centum plus cecidere boves.
Morte metus abeunt, pubes Romana triumphat,
Infesto calcans caesum elephanta pede.
[210] Desilit, et saltat circum, cantatque, cadetis,
240 Vos quoque, de nostra praeda perempta manu.
Punica regna cadent capti Carthaginis arce,
Ultima sed nostri bella nepotis erunt.
Quam bene nunc cecidit²⁰ barrhorum praeda, Metelle,
Tam bene Carthago diruta tota cadet.
245 Romanos inter cives clarissimus, omnes
Exuperas factis eloquioque duces.
Consilio, dextraque potens, interritus hostes
Irruis in medios, et facis ipse fugam.
Dictator, Consulque iterum, Superumque sacerdos
250 Maximus, et leges, et sacra iusta colis.
Tu secreta Deum Troianae Pallados arma,
Aeternosque focos, Aeneadumque Deos.
Cum Vestae templum ferales iret in ignes,
Servasti, hoc debent Numina nostra tibi.
255 Infelix pietas, et cui servata rependunt
Non meritam poenam, suppliciumque grave.
Nam cum per flamas ires, tibi lumina flammarum
Clauserunt, oculis orbus es ipse tuis.
Lumine lumen abit, quique est in lumine clausus
260 Ignis vanescens igne furente cadit.
Plus Superis tribuere Patres, currumque dedere,
Ne laedant caecos aspera saxa pedes.
Scis²¹ bene quod Poenis, Siculisque ferentibus arma,
Dedecus in nostrum Troica Vesta fuit:

²⁰ corr. pro cedidit

²¹ Fort. legendum scit

Fastorum Liber Nonus

- 265 Immisitque Euros, adversaque flamina, classi
Romanae lacrymas, naufragiumque dedit.
Tum contempta fuit, cum Numina sancta vocares,
Et nullas sancto ferret ab ore preces.
Poenituit tempsisse Deam, sacrisque paratis,
270 Unica contemptae victima nata fuit.
Tum placata Dea est, ereptaque filia morti,
Proque illa cecidit buccula fronte minax.
Sic cum Graecorum retineret in Aulide classem,
Omneque turbaret laesa Diana mare.
- 275 [211] Non tulit haec fletus patris, non funera natae,
Supposita est illi cerva, necemque tulit.
Inde favor Vestae, Poenus, Siculusque necati,
Asdrubal, in celeri vix bene raptus equo est.
Non alias Erebo, mactatum est pluribus umbris,
280 Praecedens Erebo sit licet acta dies.
Milleque lanigerae pecudes, queis vellera nigra
Mactatae, et nigro tergore mille boves.
Sed licet et mactes taurorum millia mille,
Atque hominum totidem millia mille cadant,
- 285 Non satur est illis Erebus, quo copia maior
Advenit, ille avido gutture plura petit.
Sic nunquam epotis hydrops satiatur ab undis,
Nulla potest diram lympha levare sitim.
Vesper ubi quintus laetas praecesserit Idus,
290 Inter sydereos Capra notanda choros.
Aurigae premit illa humerum, sobolemque gemellam
Cernit in Aurigae saltet ut illa manu.
Intutum est pelagus nautis, orientibus illis,
Quam multae pelago succubuere rates:
- 295 Litoreque in sicco miseri planxere parentes,
Naufraga ab undoso corpora pulsa salo.
Et coniux contusa genas, discissa capillos,
Cum geminis natis constitit ante rogos.

Fastorum Liber Nonus

- Quod si sola suos radios Iovis inclita nutrix
300 Efferat, in timido pectore terror erit.
Maiores faciet, quam sint timor ille, tumultus,
 Augebuntque ipsos falsa pericla metus.
Sic cum Titanes in coelum bella tulissent,
 Iupiter extincto fulmine inermis erat.
305 Pro clypeo sumpsit nutricis vellera caprae,
 Quo conspecto hostes diriguere metu:
Fit fuga, fit strages, dum summo e cumine Coeli
 In subiecta graves, et fera saxa cadunt.
Poena Iovi placuit, placuit victoria, Capra
310 Adiutrix uno sidere clara micat.
[212] Hinc quoties aliquis Superos ad bella vocavit,
 Aegida scripserunt in Iovis isse manum.
Cercopas in simias illâ convertit, et illâ
 Vasta Gigantaeis nobilis Aetna rogis.
315 At postquam imperium firmavit Iupiter Orbis
 Coelestis, natis arma gerenda dedit.
Indulgere senem genio, partaque quiete,
 Iuvit, et in potu continuare dies.
Forte fuit monstrum horrificum, Tritonida circum
320 Errabat, populis intuleratque necem.
Namque alios torvo spectatos lumine, saxa
 Fecerat, in varios corpora fixa modos.
Aut alios forti contusos dente vorarat,
 Humanus monstro potio sanguis erat.
325 Aut simul ut vivis detractum crinibus anguem
 Torserat, in morsu mors erat atra novo.
Missus in hoc Perseus, Danaës pulcherrima proles,
 Cui talare duplex in pede penna fuit.
A tergo clypeus, turbatae Pallados arma,
330 In dextra fera falx ex adamante micans.
Qua cecidit saevae caput exitiale Medusae,
 Hinc etiam est multo terra dracone ferax.

Fastorum Liber Nonus

- Talis in astrifero collucet Perseus orbe,
Concutiens laeva Gorgonis ora manu
335 Hoc pretium virtutis habet, coeloque receptus,
Cum Iove discumbit, colloquiturque suo.
Iupiter es nobis Caesar, Germanice Perseus,
Roma polum, unde pater, quae facis arma, probat.
Est tibi vincendum Gorgon, Germania, monstrum,
340 Cui Romana acies unica coena fuit.
Vincetur, iunctumque tuo Germanice patri
In niveis iterum Roma videbit equis,
Non tibi materiem bellatrix Roma negabit,
Ultimus e tantis sit precor iste labor.
345 Nescio quid dirum nascenti Gorgon ab astro
Influit, et mea mens tetra venena timet.
[213] Est quoque quo Syriam timeam, gens perfida nobis,
Plancinaque, et Piso nomina, triste sonant.
Nec te Threiciaeque Sami, Clariique sacerdos
350 Decipiat, dubio carmine Phaebe canis.
Nec te qui pulsat Memphytica sistra sacerdos
Fallat, adulator, quae cupis ipse, canet.
Quid tibi cum Aegypto est, nihil hic nisi triste videbis!
Pellaei occurrent nota sepulchra Ducis.
355 Quodque sonum reddit Phaebi surgentis ad ortus
Aethiopis marmor Memnonis ora gerens.
Quae tua, nunc aetas, Caesar, cecidere, veneno
Ille, sed hic Graia cuspide fixus obit.
Pyramides, Thebaeque, nihil nisi turpe cadaver,
360 Praedicunt subitam tot monumenta necem.
Quid quod Erycthonius lacrymarum congerit imbrem,
Vicinasque suis obruit Idus aquis.
Vix illud bene se Oceani super aequora sydus
Extulit, in multo Iupiter imbre tonat.
365 Arcturus fletu, coelesti Iupiter igne,
Funera praesagit, Caesareosque rogos.

Fastorum Liber Nonus

Ignotas nobis, quas liquerat ante tenebras,
Agmine tunc denso tristis hirundo petit.
Instantem fugit illa hyemem, nymbosque, nivesque,
Funestus multis exitus ille fuit.
Atra cohors plangens Cyri tentoria supra
Constitit, et Cyro plus valuere Scythae.
Haec eadem praesaga olim Pyrrhoque, feroque
Antonio, certae cladis hirundo fuit.
Deme metum, patriamque tuam securus in urbe
Protege, Romanum si modo nomen amas.
Fac tibi contingent quae cunctis otia praestas,
Effugiant curas irrequieta tuas.
Pro castris domus ampla tibi, castique Penates,
Quos Pax, Romanis quam facis ipse, colit.
Saepe legenda suo pangat tua nomina clavo
Praetor, et ad fasces sic numerosus eas.
[214] Idibus hoc faciat, non illo tempore factum,
Iratos nobis sensimus esse Deos.
Sic ubi Plebs Patres contra secessit, et ingens
Seditio cives misit ad arma truces
Aut cum relligione animi, vel corpora morbis,
Funereave olim peste levanda forent.
Tum Dictator ob id factus, qui pangere clavum
Sciret, et in magni pangeret aede Iovis.
Hinc prisci rediere animi, concordia facta est,
Et fera Romana cessit ab urbe lues.
Vulsinii hunc morem nostros docuere, fuitque
Infixus Thuscae clavus in aede Deae.
Monte in Tarpeio construxit Horatius aedem,
Quam Capitolinus Iupiter ipse colit.
Antiquo ritu Septembribus Idibus illa
Sacrata est, faustum concinuistis aves.
Inde potens Caesar subiectum despicit Orbem,
Phoebus anhelantes qua celer urget equos.

Fastorum Liber Nonus

Utque Iovis domus est coelum, sic Caesaris Orbis,
Perpetuo terras haec domus una regat.

A laeva templi laqueatum Iuno sacellum
Obtinet, a dextra Pallas amica subit.

405 Invenit haec numeros, illi numerantur et anni,
Quos agit in patrio Roma beata solo.

Inde scies fasces gessit quo tempore Consul,
Illo quis Praetor, quisve Tribunus erat.

Hanc Divam factus Consul Romanus adorat
410 Et victor laurum ponit in aede Deae.

Bellorum, Pacisque potens Tritonia virgo est,
Hinc illi laurus sacraque oliva fuit.

Arma gerit quibus adversum procurrat in hostem,
Atque oleam, pacem si modo poscat, habet.

415 Quadriugis laetatur equis, curruque superba,
Proterit inflexo quos pudet esse genu.

Cincinnatum olim pangentem in limine clavum
Atque triumphantem viderat una dies.

[215] Viderat et Pallas, susceptaque vota benigne
420 Audierat, fusas audieratque preces.

Ipsa sonum, strepitumque simul, plausumque²² canentis
Plebis, Io magna voce Triumphe venis.

Tam celebris causas liceat memorare Triumphi,
Res est victuro carmine digna cani.

425 Notus erat bellis, sed culto Quintius agro
Notior, huius erant iugera pauca soli.

Quintia trans Tyberim nobis nunc prata vocantur,
Exulta a tanto regna beata viro.

Ille iugo tauros solitus subnectere, coniux
430 Racilia in solito pascere monte pecus.

Hos neque tunc plumae, nec stragula picta fovebant,
Sed stupa molliculus iuncea lectus erat.

²² corr. pro plansumque

Fastorum Liber Nonus

- Potabant ligno, retinebat prandia lignum,
Dapsilis esca fuit cepula tincta sale.
- 435 Pectora vir nudus, collumque, et brachia, latos
Vix bene stringebat pinguis aluta pedes.
Ante puer stimulis tauros urgebat, at ille
Stivam, qua forti presserat arma manu.
Talis erat, cum Dictator mandante Senatu
- 440 Dictus, ad antiquam duxit aratra casam.
Ut digitis depexa coma est, hirsutaque barba,
Et tersus crasso pulvis ab ore fuit:
Callosasque manus fontana perluit unda
Et fuliginea de trabe sumpta toga est.
- 445 Collegit subito turmas, Equitumque magistrum
Tarquinium dixit, Regibus ortus erat.
Sed pauper, pedibusque suis stipendia plura
Fecerat, huic vallus notior urbe magis.
Paupertas, Virtusque duos coniunxerat, et quae
- 450 In prisca probitas nobilitate fuit.
Dudum Minucium, Romanaque castra premebat
Aequorum Princeps obsidione gravi.
Nec spes ulla fugae, nec spes erat ulla salutis,
Ensis et ante oculos, et ferus hostis erant.
- 455 [216] Cum subito adventu Dictator nocte silente,
Circum castra hostis castra inimica locat.
Tarquinius turmas, pedites hinc Quintius urget,
Convocat erectos Consul ad arma suos.
Sic circumseptus, nostros qui sepserat, hostis
- 460 Caesus, facta sua funera morte luit.
Pars restabat adhuc, positis cum Caelius armis,
Sollicitas victo solvit ab ore preces:
Atque suis redditum in patriam, vitamque poposcit,
Concessus redditus, pactaque vita data.
- 465 Militibus tamen est adiecta infamia victis,
Corpora servili supposuere iugo.

Fastorum Liber Nonus

- Vincla Duces subiere, Ducum Dux Cloelius ante
Ibat, in arenem lumina fixus humum.
Obvius huic quicunque fuit ludibria dixit,
470 Iurati ruptor foederis iste fuit!
O quantum spolii cepit socialibus agris
Vastatis, quantum sanguinis iste tulit!
Illusit nostris deceptis fraude locorum,
Perfidus, et Latium perdidit igne solum!
475 Praeda venit, cui praeda fuit Romana iuventus,
Ultima cui vitae est ista futura dies!
Quamvis ipse tegas fluitanti colla capillo
Improbe, quae resecet colla securis erit!
Dixit, et ante suam ramis foelicibus aedem
480 Ornatam, cantat, saltat, et ipse bibit.
Respondet madido vicinia tota, babitque,
Atque hilarante mero verba iocosa canit.
Hoc facit et miles, donec Capitolia vicit
Dictator subeat, sacrificetque Iovi.
485 Sed ne te populi communia gaudia fallant,
Votivis ludis quatuor adde dies.
Hos Equitum nova praecedet Transvectio, ne quis
Concesso petulans ordine cedat equus.
Neve macer, vel crure malo, tortoque lichenis,
490 Vel sit ab incultu pulverulenta cutis.
[217] Ne morbo gravis, aut transactis segnior annis,
Neve putri muco naris adesa fluat.
Quos rigidus Censor spectans pro Castoris aede
Damnet, et ad scabras imperet ire molas.
495 Mane erit, ad campum Martis selecta videbis
Agmina, et instrati conspicientur equi.
Turmae Equitum duplices, eadem pugnantibus arma,
Tela duo, clypeus, cassis, et ensis erunt.
Ut doctor campi dederit cum verbere signum
500 Pugnandi, fusis quisque feretur equis.

Fastorum Liber Nonus

- Nunc diducta phalanx diductos fertur in hostes,
 Nunc spisso certat vincere posse globo.
Tela volant disrupta, gravi contorta lacerto,
 Ictaque ab infesta cuspide cassis hiat.
- 505 Tum ventum ad gladios, clypei excepere retusos,
 Nec satis in ferrum ferreus umbo valet.
Iam similis verae circumtonat ira Gradivi,
 Fit fragor, et saevae mortis imago subit.
Circumfusa metu spectantum turba tremiscit,
 Et pacem pavido clamat ab ore dari.
- Pax facta est, Equitesque manu simul arma remittunt,
 Et ludunt Troia bella petita sua.
Quadratum fecere agmen, spatiisque relictis
 In medio, aequales constituere globos.
- 515 Tum nymbo similes effusi, praepete cursu,
 Subiectum celeres surripuere solum.
Mox divisa acies, geminoque in corpore tota
 Constitit, et duplex ala notata fuit.
Forcipis hinc visa est, ovi, cuneique figura,
 Et quaecunque alia est bellica ab arte nota.
- 520 Turbine dein celeri versatum ducitur agmen
 In circum, attritu stridet arena rudis.
Ast ubi quadratae forma est repetita phalangis,
 Perque datas quaeque est turma vagata vias,
- 525 Casside summissa plebem sine voce salutat
 Cursu, atque armorum pondere lassus Eques,
[218] Mars pater imposita ludos dum spectat ab aede,
 Hic primum nascens Romulus, inquit, erat.
- Natalem celebrate viri, celebrate puellae,
 Iam venit, in vestro est conditor ille sinu.
Augustusque sui venit ad natalis honores,
 Ille meus vere filius, iste nepos.
- 530 Dudum Iustitiam crimen mortale fugarat,
 Iamdudum lances fregerat illa suas:

Fastorum Liber Nonus

- 535 Calcatasque suis pedibus deiecerat astris,
Subiecto praebens illa cremanda rogo.
Unde patens pars illa poli combusta vocata est,
Quae Chelas inter Iustitiamque vacat.
Hic Phoebus condebat equos, cum vagiit infans
540 Romulus iratas Tybridis inter aquas.
Scorpius, infelix monstrum, sua brachia primum
Luminibus nostris conspicienda dabat.
Spargebatque atrum virus, quo turgidus ille,
Lethifero terris sydere bella ciet.
545 Hinc puero fraudes, raptus, caedesque propinqui,
Regnandiqe avidus per scelus omne furor.
Nil leges, nil iura facit, sceleratus habendi
In defraenato pectore regnat amor.
Adde quod illa domus nostra est, qua Romulus ortus
550 Semine deque meo, sydere subque meo.
Inde viro armorum crepitus, clangorque tubarum
Belligero, imbelli plus placuere lyrâ.
Illi ferratum galeâ caput horrida setis
Pectora, lorica clausa fuere gravi.
555 Utque eius vita est versata in turbine tota,
Turbine sic celeri raptus ad astra fuit.
Nunc quoque victricem de coelo concutit hastam,
Et dici prisca voce Quirinus amat.
Et turbat mentes hominum, bellumque suadet,
560 Et decus hoc unum vincere posse putat.
Verum ubi Religio implevit formidine mentes,
Atque redux probitas cum pietate fuit.
[219] Graeciaque ad nostros misit sua iura Quirites,
Immanis feritas fugit, et omne scelus.
565 Reddita virtuti merces fuit, aurea fama,
Criminibusque etiam reddita poena fuit.
Tunc Astraea novo compegit sydere Libram,
Signum aequi, veteri restituitque loco.

Fastorum Liber Nonus

- Dividit haec spatiis aequis noctemque diemque,
570 Summissumque sibi spectat utrumque polum.
Spectat et Italianam, quae certo examine Gentes
 Devictas tollit, vel premit ipsa suo.
Haec missos recipit Divos, nuperque recepit,
 Principis Augusti Numina iuncta sibi.
575 Hic genitus fausto Capricorni orientis in astro,
 Spectabat pleno lumine Luna Iovem.
Hunc Venus, et placido vidit Cyllenius ore,
 Saturnus quinta rector in aede fuit.
Paulatim cum Sole dies crescebat, et alvus
580 Matris crescebat, lactificusque sinus.
Donec ad aspectum Thaumantidos, Accia prolem
 Edidit, Aurorae Luna premebat equos.
Nascitur Augustus, qualis Sol aureus Orbi,
 Nocturnas clara luce fugante faces.
585 In genesi Sol imus erat, Sol alta petebat,
 Augusto terris exoriente poli.
Sole nihil maius, nil principe Caesare maius
 Augusto, vivens qui Deus esse tulit.
Quique Deus nunc est, retinetque ex parte Bilancem,
590 Brachia qua tendit Scorpius, atque trahit.
Huic vivax, foelixque aetas, foelicia Mundo
 Saecula, pax constans, Imperiumque tenax.
Ingenium solers illi, speciesque decora,
 Quam Venus in pulchro pulchra nepote probat.
595 Iustior haud quisquam iuvit mercedibus artes,
 Et doctas Musas, nomen inane prius.
Ut tandem implevit Vatum praesagia, Librae
 Occupat astriferam sub patre Sole domum.
[220] Haec ait, et celeri Mavors super aethera motu
600 Tollitur, ut Veneris splendida tecta petat.
Autumni cumulabat opes Dea, pocula Nymphae
 Bacchica, cumque pyris aurea poma dabant.

Fastorum Liber Nonus

Spargebant mensis pratensia dona puellae,

Et Mavors flores, et nova poma legit.

605 Ceteraque exposuit reliquis venalia Divis

Ad lancem, duros Lanx erat ante pedes.

Irrisere Dei famulum, Libramque tenentem,

Et pretium pomis sollicitante manu.

At Marti pretium poenae, parvique laboris

610 Grande erat, e Veneris poma petita sinu.

Talis erat facies coeli, cum Iupiter Orbem

Condidit, et terras dissociavit aquis.

Autumnus Pomis gravidus, gravidusque racemis,

Vix bene nascentes messe replerat agros.

615 Natus homo est, foelix vivebat munere Divum,

Et de vicino fonte bibebat aquas.

Cum pare quisque sua ludebat in ilicis umbra,

Foederaque inter se non violanda dabat.

Mortales mixti Superis convivia agebant,

620 Saltabant agiles ad sua festa Dii.

Non illis tunc arma, aberant poenaeque, metusque

Poenarum, nullum crimen in Orbe fuit.

Laeta aderat semper terris hominique Iuventae,

Mors aberat, quae nunc omnia falce metit.

625 O Miseri!²³ frustra nostra per tempora Iuventae,

Summanique aras volvimus ante sacras.

Obruimur numero tacitisque senescimus horis,

Et non auditos ad styga Parca rapit.

Venit ad exequias facundi Pluto Maronis,

630 Nec tanto lacrymas praebuit ille viro.

Occurrit venienti umbrae, dextramque tetendit,

Et bene apud nostros tu quoque, dixit, eris.

Nigra tibi dudum sunt cognita regna profundi,

Cocytique amnes, Tartareaeque domus.

²³ corr. pro ?

Fastorum Liber Nonus

- 635 [221] Hic per te Aeneas descendit, et ora parentis
Vidit, in Elysiis ora videnda locis.
Vidit et exanguem vultum infoelicis Elisae,
Pallidaque a gladio pectora facta suo.
Nulla Erebi non nota tibi via, gratulor hospes,
640 Quod dederis supero nostra legenda polo.
Non erat Aeneis satis tua! fama perennis,
Qua manet Aeneae, Caesaribusque tuis.
Audivere satis mortales dulcia metra,
Fac tangent stygios hac quoque metra Deos.
645 Illa per Aeneas Manes, et Tartara liquit,
Et cepit Latii debita sceptrata soli.
Haec repetes, repetesque iterum, nunquamque remittes,
Haec tibi apud nostros poena perennis erit.
Desiit, atque ambos lethalis condidit umbra,
650 Phoebeo exclusos tempus in omne die.
Hoc Superi, Caesarque vetant, insculpta sepulchro
Vergilii, Augusti carmina scripta manu.
Hic lapis ossa tegit docti tumulata Maronis,
Qui quondam cecinit pascua, rura, Duces.
655 Post Romam vivet, mittetque in saecula nomen,
Carmine quo cecinit pascua, rura, Duces.
Audiit hoc fatum genitrix Aeneia, plausit,
Et mixtas myrto sparsit amoena rosas.
Hunc morem nostri vates renovare quotannis
660 Gaudent, et fuso frangere liba mero.
Pieridum decus, et sanctae nova gloria turbae,
Cui Phoebus lacrymas, et Cytherea dedit.
Cuius ad interitum, ne funera tanta videret,
Totus in Oceani Pegasus ivit aquas.
665 Et pede concusso Parnassi nobilis amne,
Virgilii Musas iussit ab ore loqui.
Fac nostrum consurgat opus per carmina, quanta
Caesar, et aeterni promeruere Dii.

Fastorum Liber Nonus

- Hunc iuvit servasse, Egnatius concidit, et qui,
670 In tantum tulerant arma scelestia caput.
[222] Ara etiam reduci Fortunae erecta, diesque
 Augusti reditus festus in urbe fuit.
Inque foro Iuli, Veneris Genitricis honores,
 Sacraque cum multa sunt repetita prece.
675 Nullus honos Magno, cuius lux ultima mensis,
 Principium vitae, finis et ipsa fuit.
Haec eadem spoliis plenos hostilibus axes
 Vedit, et in vinclis ingemuisse Duces.
Quotque Asiae populi, titulis tot nomina legit,
680 Unus pars Orbis tota triumphus erat.
Nunc iacet in Libyco semiustus litore Magnus,
 Vix lapis est, huius qui tegat ossa, super.
Cui victi tot colla Duces, Regesque dederunt,
 Aegypti Regi colla secunda dedit.
685 Hoc Fortuna sibi statuit sublime trophyum,
 Ut noris parvo magna subesse loco.
Sic modo quae fuerat sylvarum gloria quercus
 Sacra Iovi, et vitta versicolore nitens.
Quam flos cingebat multa pendente tabella,
690 In qua spem voti, votaque carmen habet.
Cuius sub ramis Dryades duxere choreas,
 In cuius ramis nidificastis aves.
Sub quibus et pastor pecudes, armenta bubulcus
 Egerunt, medium Sole tenente globum.
695 Ut simul excisa est, positae cedidere tabellae
 Ruperunt vittas florea sertas suas.
Fugerunt Dryades, volucresque, et pastor, et eius
 Sub ramis toties quae latuistis aves.
Visae etiam et frondes, visae pallescere glandes,
700 Esca simul gregibus, factaque praeda sui,
Opprobrium agricolis, ramos manus impia caedit,
 Et caput, et truncum, quae daret illa foco.

Fastorum Liber Nonus

Nec quidquam superest de tanto corpore, praeter
Nescio quod famae nomen inane suae.